This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lp 26.147



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)
24 May, 1884.

M. ATTII PLAUTI

PSEUDOLUS, RUDENS, TRUCULENTUS.

ACADEMIARUM ET SCHOLARUM IN USUM

DENUO RECENSUIT ET EXPLICAVIT

FRID. HENR. BOTHE,

D. PHIL. ET MAG. AA. LL., SOCIETATI, QUAE IENAE EST, LATINAE, ITEMQUE TEUTONICAE BEROLINENSIUM, HON. C. ADSCRIPTUS.

LIPSIAE,
IN LIBRARIA HINRICHSIANA.
MDCCCXL.

Typis exscripsit Th. Höhm.

PRAEFATIO.

Invitavit nos honestissimus bibliopola, ut quemadmodum Plauti Captivos, Militem gloriosum et Trinummum pridem curasset doctissimus Lindemannus, ita nos ederemus hanc comoediarum triadem non minus celebrem, usuique aptam publico in scholis. Qua provincia suscepta id inprimis studui, ut verba poëtae ad fidem antiquorum codicum restituerem, quam deserere confidentius coepit Lambinus, dux fere gregis recentiorum editorum, dum vel sententiis lucem afferre cogitat, eruditione fretus haud vulgari; vel versibus vacillare visis succurrit, qui aut sani sunt, aut alia ratione expediendi magis probabili.

Quos ego errores tantum abfuit ut ambitiose refellendos esse arbitrarer, ut ne commemorarem quidem plerosque, otio lectorum parcendum ratus, cumque satius ducerem veros scrupulos eximere, si possem, in notis. Nec magis librarios notavi semper, verba Comici transponentes; velut Pseud. I, 2, 37. et 38. scripserunt:

I, puere, prae: ne quisquam pérfundát crumenam,
cautio est.
Vel opperire: est, quod domi dicere paene fui oblitus,

cum vix dubitare liceat, quin Plautus et vividiore oratione, et modulatis versibus, nec prave acute vocabulo *perfundat*, ita locutus sit:

I, puere, prae: crumenam ne quisquam perfundat,
cautio est.
Vel opperire: est quod domi fui dicere paene oblitus.

Cum dixi, antiquos me sequi codices *), non eo dixi,

*) Eorum duo praecipui sunt illi, quos olim usurpavit Camerarius, post bibliothecae Palatinae illatos; quorum alter, quem

quo soloeca, a quibus nondum purgatus omnino Plautus est, fovenda, mendaque aperta mordicus tenenda existimem; sed observandas esse aio leges linguae, plurisque faciendam rationem quam hallucinationes hominum rudiorum, quales plerique erant illi, qui libros veteres describebant aevo medio. Quare (ne dicam de inepto isto *tuas* pro *duas* Rud. 3, 4, 32.) Pseudoli actu 1., sc. 2., v. 49., soloeca *ea quibus est vobis usui* haud cunctanter emendavimus, vix dubitantes, forte s litteram abiisse in i similem. Nec diutius deturpare sivimus chartas Plautinas ista quae ibidem leguntur v. 50., *vino modo cupidae estis*, quo modo nec quisquam alius locutus est, nec ut loqueretur hic noster ulla fuit necessitas, cum dicere usitate posset *vini*. Et ita quidem Lambinus in ordine; sed annotationi tamen praescripsit mendam inveteratam, metu, opinor, superstitiosorum, quibus tum quam maxime haec studia impediebantur, cum multi, quos etiam nunc sunt qui imitentur, quaecunque haberentur in libris, recta putarent, nec mutanda, quamvis ineptissima. Recte igitur ille, si quid sentio, edidit *vini;* sed via probare ac stabilire cum neglexerit emendationem suam, age succurramus ei et, similiter apud alios scriptores i et o litteras confusas esse, allatis exemplis ostendamus. Igitur *formatum* pro *firmatum* legebatur in codice MS. Velleii 2, 110., et *formanda* pro *firmanda* ibidem 123., contraque *auctumni* pro *auctumno* 114.; et adhuc in vulgaribus libris *Idem* pro *Olim* apud Phaedrum Fab. 4, 4, 3., et *bellis si* pro *bello si* haeret apud Lucanum 5, 287. cuius depravationis haec causa est, quod i litterae, praesertim apice carentis, pars infima curvata et paulo productior similem τοῦ o accipit figuram. Hoc caput est; ceterum illud *estis*, et *mihi*, et *hodie*, quae versus respuit, ex margine in verba Comici immigrasse, nemo nunc est quin intelligat, mirorque, non Lambini, sed Gronovii Ernestiique aevo haec, quae nullis metri regulis adstringas, habita esse pro versibus:

---

veterem appellat, continebat omnes Plauti fabulas hodie superstites, quo libro quid factum sit post dissipationem illius bibliothecae notissimam, nescitur; alter, qui XII. posteriores continet, nuper rediit Parisiis, quem inspexi Heidelbergae anno 1820.

Cur ego vestem, aurum, atque ea, quibus est vobis usui,
praebibeo? quid mihi
Domi, nisi malum, vestra opera est hodie, improbae?
vino modo cupidae estis *).

Librarii sicut isto loco et passim de suo addidisse deprehenduntur ea, quae requirere putarent orationem, ita etiam omittere solent minus visa necessaria. Uno exemplo rem illustrabo, ne longus sim. Pseud. 1, 3, 7. sic habet in libris:

Ca. *Non possum.* Ps. *Fac possis.* Ca. *Quonam pacto*
possim vincere animum?

Verba perspicua sunt; nec tamen hanc manum poëtae esse arbitror, pravo ictu metrico offensus verbi *possum*. Versus iambici initium est *Non possum*; trochaïci ut fiat, pronomine subiecto scribendum censeo *Non possum ego*, quo facto accentum retrahit *possum*. Nec mihi religio fuit talia supplere, sed diverso litterarum genere distincta. Scilicet nec intelligebant, nec curabant, plerumque librarii metra, praesertim dramatica, et vulgarem sectabantur ordinem verborum, quae ubi transposita sunt per negligentiam imperitorum, in versus modulum redigere ius fasque est.

Minus quidem rudes rei metricae cum primi, qui Plautum typis evulgarunt, tum Camerarius, Lambinus, et eorum vestigia legentes usque ad nostram memoriam editores **), tamen

*) Etiam ulcus illud Rud. 1, 3, 30. tandem, si faverunt Musae, curavimus ponendo, quod sententia suadet, versus comprobat, *me somno abstinent*, cum C, i. e. S, littera neglecta esse videatur propter sequens O simile; quo facto et capite truncum *omno* et vocem *abstinent* magis magisque mutaverint, donec exstitit crux ista interpretum *me omnia tenent*. Nec despero, assensuros nobis esse viros doctos cum de supplemento Truculenti, fabulae corruptissimae, 1, 1, versu 30., tum de emendatione eiusdem scenae versu 43., itemque 1, 2, 112.; 2, 2, 32., 63.; 4, 1, 8, 9., et aliis nonnullis, quos nunc demum enucleare nobis, ni fallor, contigit, ut dies diem docet.

**) Commemorantur prae ceteris in nostris annotationibus editiones Ioachimi Camerarii (Basil. 1551. et 1558., 8.), Gisberti Longolii (Colon. 1538., 8.), Dionysii Lambini (Lugd. 1577., forma maxima), Iani Gruteri (Heidelb. 1592., 8.), Iani Douzae filii (Antuerp. 1589., 12.), Frid. Taubmanni (Francof. 1605. et 1612., 4.), Io. Phil. Parei (Francof. 1610., 8., quae bis repetita est), M. Z. Boxhornii (Lugd. Bat. 1645., 8.), in qua insunt notae quaedam Ios. Scaligeri; denique Io. Frid. Gronovii (Amstelod. 1648.,

nec vim asynartetorum versuum perspicere solent, nec artem animadvertere poëtarum scenicorum illam, quae formas versuum pro ratione affectuum usque mutantium variant. Sic identidem in his fabulis iambos excipiunt trochaïci versus, levi quidem nonnunquam discrimine, sed tamen eo, ad quod attendere animum debeat, quicunque earum gustum habere cupit, penitusque cognoscere scriptores clarissimos. Et de asynartetis quidem versibus alio loco exposui; nec scio, quid sibi velint quidam, qui totum hoc genus tollunt, notissimum illud antiquis, nec prorsus incognitum aut despectum recentioribus Criticis. Variationem vero istam versuum, praesertim in colloquiis, non est quod multis probem, siquidem nulla non eam pagina ostendit. Velut Pseudolo, act. 2, 4., quis est, qui versus 22. et 26.,

> Ps. *Quis istic est?* Ca. *Charinus.* Ps. *Euge, iam χάριν οἰωνὸν ποιῶ,*
> Ca. *Quid istuc est?* Ps. *Epistolam hanc modo intercepi et symbolum,*

pro trochaïcis habere malit tetrametris catalectis quam pro iambis eiusmodi, interiectis ad indicandum aliter atque aliter affectos animos colloquentium? Ne 33. quidem versum eiusdem scenae, qui talis est:

> Ca. *Egone?* Ps. *Tute.* Ca. *Ego?* Ps. *Ipsus, inquam, si quidem hoc vivet caput,*

referre sustinui inter trochaïcos, sed metro distinxi, producta, ut fit interdum, praesertim apud Plautum, media vocis *Egone*, quo gliscentem adolescentis affectum indicarem.

Fuit nimirum Plautus versuum peritissimus artifex, adeo, ut depravatorum eius verborum certum sit indicium laborans res metrica. Laborat autem saepe propter glossas, quibus librarii oppleverunt haec scripta, dum alii obscure aut figurate dicta explicant, aliique postea explicationes istas in ipsum ordinem recipiunt, itaque monstra nonnunquam edunt versuum, quae aegre procures. Uno eius quoque rei, sed insigni, spe-

---

8.), quam denuo curavit, additis Excerptis ex eiusdem Gronovii Lectionibus Plautinis, Io. Aug. Ernesti (Lips. 1760., 8.) Iuntinas et Aldinas, primum excusas a. 1514. et 1522., fere dico, cum nuncupo editiones mediae aetatis.

cimine defumgamur. Pseudolo, act. 2. sc. 1., servus callidus ita loquitur in veteribus libris:

Nam ego in meo
Pectore prius ita paravi copias duplicis, triplicis dolos,
Perfidias: ubi ubicunque cum hostibus congrediar, malorum meorum
Fretus virtute dicam, mea industria et malitia, fraudulentia,
Facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduelles meis perfidiis;

in quibus quis agnoscat versus pessime deformatos, dum boni viri isti interpretatione eos in vicinis sublecta (*in meo pectore*) farciunt, et figurate dictas *copias* propriis verbis interpretantur, idque dupliciter, alio adscribente *dolos*, alio *perfidias*, alio denique utramque vocem orationi poëtae inserente, quasi genuinam? ne dicam de mendo insulsissimo *malorum*, quo dudum est cum Gruterus purgavit hunc locum. Cuius viri emendatione accepta, et vocabulo *fraudulenti* (sic enim Palatinus codex, quem evolvi, et priscae editiones) mutato in *fraudulenta*, deletis autem istis monachorum additamentis, vide mihi, quam bene illa habeant, apta atque aperta sententia, versibusque fluentibus et artificiose variatis!

Interpolarunt etiam recentiore tempore viri eruditi passim versus, quos, artificii illius ignari, neque suspicati clausulas, quarum usum Bentleius declaravit in Schediasmate de metris Terentianis, defectos putarent metro. Velut Rudente, act. 4. sc. 4, 88., verba *Eum esse dixit!* PA. *Faciam ego hanc rem planam tibi*, quae facile redigas in formam iambi senarii, Gulielmius Quaestionum in Militem gloriosum capite 3. habens pro trochaïco tetrametro catalectico, quo genere metri et iambico simili conscripti sunt ceteri eius scenae versus, proposuit hoc *Faciam ego hanc rem planam ex proclivi tibi*, quasi forte intercidissent ista *ex proclivi*; pariterque Lambinus deesse aliquid putans edidit: *F. ego h. r., quam quaeris, pl. tibi.* Et eiusdem scenae v. 94. Camerarius inculcavit verba *iniuriam meram*, nimis patientem aurem commodante Reizio talibus divinis, quamvis esset rei metricae longe quam illi peritior.

D illud, quo concursum vocalium veteres cavebant, saepius quam ante adhibui commodo lectorum, eoque remedio duos sanavi locos Truculenti. Primum act. 1. sc. 5, 5., ubi codices: *Non des amicae, Dinarche, savium*, quae manca editores nescio quo modo sic reliquerant, quasi ne iambum quidem senarium dimetiri scivissent. Apparet enim, Plautum dixisse *Non des amicaed, o Dinarche, savium*, et litteras *ed* ansam dedisse similis *od*, quod sequebatur, omittendi, praesertim in scriptura, olim usitata, continua. Alterum act. 1. sc. 5, 92., ubi codices: *Ego isti non munus mittam? iam modo ex hoc loco.* Facile ex verbis *iam modo* eruas *imod*, quod mirantes librarii mutarunt; *eloco* autem, quod Gulielmius restituit, putide explicuerunt pronomine *hoc*, quasi non ab se domo, sed a via, in qua tum constitit, munus perferri iussurus sit ad amasiam Dinarchus.

Praeterea res omnis generis antiquas, quarum fit mentio apud hunc nostrum, paulo curiosius explanavi quam in prioribus meis editionibus, cum illud inprimis agerem, ut genuina poëtae verba restituerentur. Quae editiones cum non omnino displicuerint viris, quibus probari iuvat, eo magis sperandum est fore, ut hae quoque fabulae, sic ornatae, plausum ferant orbis eruditi, dignaeque habeantur, quas professores bonarum litterarum eorumque discipuli, aliique antiquitatis et virtutis comicae studiosi, cum nostrates, tum exteri, usurpent, cum praesertim sint, Varronis ut verbo dicam, Plautinissimae et fecundum variumque viri ingenium clariore quam aliae nonnullae in luce ponant. Quarum quidem fabularum suavissima (Rudentem dico) iamdudum Reizii opera lectitata fuit in scholis academiisque, Pseudolo autem et Truculento Plautus ipse maxime gaudebat, ut Cicero auctor est; neque immerito, quae scite depingendis moribus diversorum hominum, miroque eventu rerum, tum sale et facetiis, non cedant Rudenti.

Dabam Constantiae ad lacum Brigantinum, Calendis Martiis anni a Christo nato MDCCCXL.

M. ATTII PLAUTI

PSEUDOLUS.

DENUO RECENSUIT ET EXPLICAVIT

FRID. HENR. BOTHE.

DRAMATIS PERSONAE.

PSEUDOLUS.
CALIDORUS.
BALLIO.
LORARIUS.
SIMO.
CALLIPHO.
HARPAX.
CHARINUS.
PUER.
COCUS.
SIMMIA.
PHOENICIUM, muta persona.

ARGUMENTUM.

Praesentis numerat quindecim miles minas; i. s.
Simul consignat symbolum: ut Phoenicium
Ei det leno, qui eum cum reliquo adferat.
Venientem caculam intervortit symbolo,
Dicens Syrum se Ballionis, Pseudolus, 5
Opemque herili ita attulit: nam Simmiae
Leno mulierem, quem is supposuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palam cognoscitur,
Senexque argentum, quod erat pactus, reddidit.

ARGUMENTUM CAMERARII.

Huius fabulae laudatio extat Ciceronis, in cuius Catone (14, 50.) ipse Cato dicit: Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo! Ac est Truculentus quidem ita depravatus, ut nulla alia fabula fabularum Plautinarum magis, tam in expressis, quam in Mss. libris. Pseudolus autem, et beneficio veterum librorum,

V. 3. *qui* monosyllabum sub ictu positum non liquescit. cf. 1, 1, 60. — V. 6. *Herili*, herili filio. cf. Pseud. 1, 5, 78. — Libri vett. proclivi lapsu: *ita tulit.* Vulgo, auctore Lambino: *ita tetulit.* Vulgatum nomen *Simiae* non est graecum, ut esse convenit in fabula palliata. Palatinus codex, quem adhibuimus: *si nimie.*

*et nostra diligentia, maxima parte restitutus integritati *), facile probat lectori, se non sine causa tantopere placuisse Ciceroni.*

Argumentum est varium et plane mirificum. Senes duo satis commodi. Adolescens amore perditus. Servus veterator et fraudulentus. Leno sceleratus et perfidus; a quo per fallacias subitae occasionis abducitur amica filii herilis, consilio servuli. Haec exponuntur admodum copiose et luculente, cum actione multiplici.

---

*) Mutilus tamen videtur circa finem: vide annotata ad 5, 1, 43. B.

PROLOGUS.

[Studete hodie mihi: bona in scenam affero:
Nam bona bonis ferri reor aequum maxume,
Ut mala malis: ut, qui mali sunt, habeant mala,
Qui boni, bona. Bonos quod oderint mali,
Sunt mali; malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet; vosque ideo estis boni, quandoquidem
Semper odistis malos et lege et legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam operam date gregi,
Qui bonus est et hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus ampliter fient saturi.
In scenam qui ieiunus venerit aut sitiens,
Is risu et ventre raso vigilabit sedulo:
Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
Nunc, si sapitis, cedite ieiuni atque discedite.
Vos saturi, state, imo sedete atque attendite.
Non argumentum neque huius nomen fabulae
Nunc proloquar ego: satis id faciet Pseudolus:
Satis id dictum vobis puto iam atque deputo.
Ubi lepos, ioci, risus, vinum, ebrietas decens,
Gratiae, decor, hilaritas atque delectatio,
Qui quaerit alia, is malum videtur quaerere.
Curas malas abiicite iam, ut otiosi, hodie.]
Exporgi melius lumbos atque exsurgier: i. s.
Plautina longa fabula in scenam venit.

Prologus praeter 2 versus postremos spurius est neque antiquus, sed suppletus aevo medio ab homine inepto, sive animi causa, sicut Codrum Urceum, Hermolaum Barbarum, Angelum Politianum, fecisse scimus, seu potius in usum ludorum litterariorum in quibus isto tempore docere solebant festis diebus fabulas cum novas, tum Plauti et Terentii, utcunque, si mutilae essent, sartas, ne quid desiderarent spectatores. Reliqui haec ita, ut inveni, nisi, quod, Douzam Centur. p. 390. et Guilelmium Quaest. Plaut. secutus, versu penult. dedi *alia* pro *alta*. — *melius* MSS., non *meliust*, quod editi habent.

PSEUDOLUS. CALIDORUS.

Ps. Si ex te tacente fieri possem certior, i. s. I, 1.
Here, quae miseriae te tam misere macerant:
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi et tui respondendi mihi;
Nunc, quoniam id fieri non potest, necessitas
Me subigit, ut te rogitem. Responde mihi:
Quid est, quod tu exanimatus iam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem consili quemquam facis?
Eloquere: ut, quod ego nescio, id tecum sciam.
Ca. Misere miser sum, Pseudole! Ps. Id te Iupiter
Prohibessit! Ca. Nihil hoc Iovis ad iudicium attinet;
Sub Veneris regno vapulo, non sub Iovis.
Ps. Licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.
Ca. Idem animus nunc est. Ps. Fac me certum, quid tibi est.
Aut re iuvabo aut opera aut consilio bono.
Ca. Cape has tabellas: tute hinc narrato tibi,
Quae me miseria et cura contabefacit.
Ps. Mos tibi geretur. Sed quid hoc, quaeso? Ca. Quid est?
Ps. Ut opinor, quaerunt litterae haec sibi liberos:
Alia aliam scandit. Ca. Ludis me ludo tuo.
Ps. Has quidem pol credo, nisi Sibylla legerit,
Interpretarid alium posse neminem.
Ca. Cur inclementer dicis lepidis litteris,
Lepidis tabellis, lepida conscriptis manu?
Ps. An, obsecro hercle, habentque gallinae manus?
Nam has quidem gallina scripsit. Ca. Odiosus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. Ps. Imo enim perlegam.
Advortito animum. Ca. Non adest. Ps. At tu cita.
Ca. Imo ego tacebo; tu istinc ex cera cita:

Act. I., sc. I., v. 4. Excusant hellenismum, cum haec ita legantur apud Gellium, sed vix dubito, quin ponendum sit *Meo te rog. et tuo r. mihi.* vid. Gronov. Vulgata vel κακοφωνίᾳ arguuntur, et constat, i et o litteras commutatas interdum esse a librariis; qua de re diximus praefatione. Mature autem depravari coepisse Plautinos codices, Varro auctor est. — 14. *Licet me.* Suspicor, Plautum dixisse *Licetne.* — 21. V. *hae,* ὁμοιοτελεύτως. vid. Parei lex. Plaut. v. *Haec pro Hae.* — 29. *redde* non est elidendum. — 31. *istinc,* codd. hiante versu: *hinc,* cum sequatur *istic.* Semel annotabo, ne idem mihi toties dicendum sit, ubi caussae mutationum nullae afferuntur in sequentibus, nec sua sponte apparet illarum ratio, numeros versuum laborare.

Nam istic meus animus nunc est, non in pectore.
Ps. Tuam amicam video, Calidore. Ca. Ubi ea est, obsecro?
Ps. Eccam in tabellis porrectam; in cera cubat.
Ca. At te di deaeque, quantum est.... Ps. Servassint quidem!
Ca. Quasi solstitialis herba paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.
Ps. Tace, dum tabellas perlego, ergo. Ca. Quin legis?
Ps. „Phoenicium Calidoro, amatori suo,
„Per ceram et linum litterasque interpretes
„Salutem mittit et salutem abs te expetit,
„Lacrumans, titubantid animo corde et pectore.“
Ca. Perii, salutem nusquam invenio, Pseudole,
Quam illi remittam! Ps. Quam salutem? Ca. Argenteam.
Ps. Pro lignean' salute vis argenteam
Remittere illi? Vide sis, quam tu rem geras.
Ca. Recita modo: ex tabellis iam faxo scies,
Quam subito argento mi usus invento siet.
Ps. „Leno me peregre militi Macedonico
„Minis viginti vendidit, voluptas mea,
„Et priusquam hinc abiit, quindecim miles minas
„Dederat; nunc unae quinque remorantur minae.

---

38. *Tace — ergo.* hyperbaton pro *Tace ergo, dum perl. tab.* cf. 31. V.: — *perlego.* Ca. *Ergo quin legis?* sed non memini me legere apud auctores *Ergo quin.* — 49. *militi Macedonico.* Sicut hic Macedo, sic omnes isti proeliatores et gloriosi milites, quos Philemon, Menander aliique eiusdem aetatis Comici graeci, et eorum exemplo Plautus et Terentius, traduxerunt in scena, non fuerunt cives, sed peregrini, qui conductitium militem ducerent in Asiam, Thraciam, vel quocunque a regibus aut civitatibus bella gerentibus, praeda ac lautissimis stipendiis propositis, invitarentur. Magnus inprimis et multiplex conductitii militis usus fuit sub Philippo Macedone, Alexandro et eius successoribus, qui per XXV annos in Aegypto, Syria, Asia, Macedonia et universa Graecia bellis internecinis intestinisque discordiis omnia miscebant. Sic rapinis bellicis locupletati militum mercenariorum conquisitores (Werboffiziere) Athenarum aut Corinthi, luxuriosarum urbium, secessum petere solebant, divitiasque suas per otium in comessationes, parasitorum sodalitia et meretricios amores effundere. Reges, qui passim commemorantur (Plaut. Truc. 3, 2, 96., Terent. Eun. 3, 1, 7., 18., Heaut. 1, 1, 65., intelligendi sunt Seleucus Nicator, rex Syriae (Mil. glor. 1, 1, 15., nec alio pertinet *Babyloniensis miles* Truculento) Antigonus, Demetrius, Ptolemaei, velut Ptolemaeus Philadelphus, de quo Theocritus 14, 59.: Μισθοδότας Πτολεμαῖος ἀλυσθέρῳ οἷος ἄριστος. cf. de μισθοφορικῷ regum Alexandrinorum Strabonem 17., p. 1178, C. et generatim de his militibus C. A. Boettigeri Specimen novae editionis Terentii, Lipsiae excusum a. 1795., excursu 2., ex quo fere libro haec depromsimus.

„Ea causa miles hic reliquit symbolum
„Expressam in cera ex anulo suam imaginem:
„Ut, qui huc adferret eius similem symbolum,
„Cum eo simul me mitteret. Ei rei dies
„Haec praestituta est, proxuma Dionysia."
Ca. Cras ea quidem sunt: prope adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in te est auxili. Ps. Sine perlegam.
Ca. Sino: nam mihi videor cum ea fabularier.
Lege! dulce amarumque una nunc misces mihi.
Ps. „Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
„Iocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
„Conpressiones artae amantum conparum,
„Teneris labellis molles morsiunculae,
„Papillarum horridularum oppressiunculae,
„Harunc voluptatum mi omnium atque itidem tibi
„Distractio, discidium, vasticies venit,
„Nisi quae mihi in te est aut tibi est in me salus.
„Haec, quae ego scivi, ut scires, curavi, omnia;
„Nunc ego te experiar, quid ames, quid simules. Vale."
Ca. Est misere scriptum, Pseudole! Ps. O miserrume!
Ca. Quin fles? Ps. Pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exspuant unam modo.
Ca. Quid ita? Ps. Genus nostrum semper siccoculum fuit.
Ca. Nilne adiuvare me audes? Ps. Quid faciam tibi? Ca. Heu?
Ps. Heu? Id quidem tibi hercle, ne parsis, dabo.
Ca. Miser sum: argentum nusquam invenio mutuom...
Ps. Eheu! Ca. Neque intus numus ullus est. Ps. Eheu!
Ca. Ille abducturus mulierem cras est. Ps. Eheu!
Ca. Istoccine pacto me adiuvas? Ps. Do id, quod mihi est:
Nam is mihi thesaurus iugis in nostra est domo.
Ca. Actum hodie de me est! Sed potes nunc mutuam
Drachmam mihi unam dare, quam cras reddam tibi?
Ps. Vix hercle opinor, si me opponam pignori.
Sed quidnam drachma facere vis? Ca. Restim volo
Mihi emere. Ps. Quamobrem? Ca. Qui me faciam pensilem:
Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi.

---

57. *Dionysia.* Τὰ μεγάλα Διονύσια, *magna Bacchanalia*, Athenis maiore cum festivitate celebrari solita tempore verno. — 60. Versus ita dimetiendus: *Sino* (S'no): *nam| mihi vide|or cũm e|a fa|bula|rier.* vid 70 et annot. ad argum. v. 3. — 62. *mores, morigeri modi*, ut ait Lucretius, i. e. morigeratio, cum puella copiam sui facit amatori. Mostell. 1, 3, 128.: *Nam amator meretricis* MORES *sibi emit auro et purpura.* — 86. V.: *S. quid de dr. f. vis?* Pal.: *S. quidem a drachuma f. v.*

Ps. Quis mi igitur drachmam reddet? Non dederim tibi.
An tu te ea causa vis sciens suspendere,
Ut me defrudes drachma, si dederim tibi?
Ca. Profecto nullo pacto possum vivere,
Si illa a me abalienatur atque abducitur.
Ps. Quid fles, cucule? Vives. Ca. Quid ego ni fleam,
Quoi nec paratus numus argenti siet,
Neque libellai spes sit usquam gentium?
Ps. Ut litterarum ego harunc sermonem audio,
Nisi tu illi lacrumis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras.
Verum ego te amantem (ne pave) non deseram.
Spero, alicunde hodie me bona operad hac mea
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Ca. At qui id futurum? unde? Ps. Unde dicam, nescio;
Nisi quia futurum est: ita supercilium salit.
Ca. Utinam, quae dicis, dictis facta suppetant!
Ps. Scis tu quidem hercle, mea si conmovi sacra,
Quo pacto quantas soleam turbelas dare.
Ca. In te nunc spes sunt omnes aetati meae.
Ps. Satin' est, si hanc hodie mulierem ecficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
Ca. Satis, si futurum est. Ps. Roga me viginti minas:
Ut me ecfecturum tibi, quod promisi, scias.
Roga, obsecro hercle: gestio promittere.
Ca. Dabisne argenti mi hodie viginti minas?
Ps. Dabo. Molestus nunc iam ne sis mihi.
Atque hoc, ne dictum tibi neges, dico prius:
Si neminem alium potero, tuom tangam patrem.
Ca. Pietatis causa vel etiam matrem quoque.
Di te mihi omnes servent! Verum, si potes.
Ps. De istac re in oculum utrumvis conquiescito.
Ca. Oculum utrum, an in aurem? Ps. At hoc pervolgatum est nimis.

---

89. Ita Pal. V. ταυτολογικῶς: *reddet, si d. t.?* — 96. Vett. libri: *Neque libellae*, manco quidem numero. V.: *N. cui libellae. libella*, libra, as, numus argenteus, decima denarii pars. cf. Capt. 5, 1, 27. — 97. *lacrumis*. V.: *drachmis* vel *dracmis*. — 102. Libri: *opera aut hac m.* Sic aliis quoque locis D illud mutatum aut oblitteratum est per inscitiam librariorum: vide Asin. 3, 3, 3, Cas. 2, 3, 19, Epid. 4, 1, 29. — 104. V.: *argentarium. Atque id f. unde, unde d. n., Nisi* etc. — 108. Libri: *Q. p. et quantas.* — 120, 121. Horum versuum contrarius ordo est in libris. — 122. *nimis*. V.: *minus*, errore facili nec raro.

Nunc, ne quis dictum sibi neget, edico omnibus,
Pube praesenti in concione, omni populo,
Omnibus amicis notisque edico meis,
In hunc diem a me ut caveant, ne credant mihi.
CA. St!
Tace, obsecro hercle! PS. Quid negoti est? CA. Ostium
Lenonis crepuit .... PS. Crura mavellem modo.
CA. Atque ipse egreditur, penitus periurum caput.

BALLIO. LORARII IV. PSEUDOLUS. CALIDORUS.

BA. Exite! agite, ite, ignavi male habiti et male conciliati. t. t. I, 2,
Quorum nunquam quidquam quoiquam venit in mentem ut recte faciant,
Quibu' nisi ad hoc exemplum experior, non potis usurpari usura!
Neque ego homines magis asinos unquam vidi: ita plagis costae callent,
Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi sunt flagritribae.
Qui haec habent consilia: Ubi data occasio est: c. t.
Rape, clepe, tene, harpaga, es, bibe, fuge! Hoc eorum opust:
Ut mavelis lupos apud ovis linquere quam hos domi custodes. i. t. hyp.
At faciem quom adspicias eorum: haud mali videntur; opera fallunt. as., t. d. et i. d. hyp.
Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortetis omnes, t. t.
Nisi somnum socordiamque ex pectore oculisque amovetis:
Ita ego vostra latera loris faciam ut valide varia sint: t. t. c.
Ut ne peristromata quidem aeque picta sint Campanica, i. t.
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.
Atque heri antedixeram omnibus dederamque eas provincias; t. t. c.
Verum ita vos estis negligentes, perditi, ingenio inprobo: i. t.

123, 124. V.: — *dico* — *Pube*. — Act. I, 2, 3. *potis*. dure codd.: *potest*, quae est explicatio. — 13, 14. *Peristromata*, i. e. stragula, *picta*, quibus fabricandis excelluisse videntur Campani haud secus ac Phryges et Babylonii, opponuntur *textis tapetibus*, quae ars Alexandriae inventa est, Plinio auctore. *belluata*, belluarum [illegible]is exornata, sicut etiam hominum, avium aliarumque rerum, hodieque fiunt, praesertim in Gallia. *conchyliata*, conchyliucco infecta, purpurea, violacea. — 16. V.: *perditi, negl.*

Officium vestrum ut vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita vos animati estis, vincere hoc duritia tergi. i. t. c.
Hoc vide, sis: alias res agunt. Hoc agite, hoc animum advortite, i. t.
Huc adhibete auris, quae ego loquar, plagigera generad hominum! i. t. c.
Nunquam edepol durius vostrum erit tergum, quam tergi-num hoc meum. i. t.
Qui nunc? doletne? Hem, sic datur, si quis herum servos spernit! i. t. c.
Adsistite omnes contra me et, quae loquor, advortite animum.
Tu, qui urnam habes, aquam ingere. Face plenum ahenum sit cito. — i. t.
Te cum securi caudicali praeficio provinciae.
Lo. At haec retunsa est. Ba. Sine siet. Itidem vos estis plagis. i. t. c.
Num qui minus ea gratia tamen omnium utor opera?
Tibi hoc praecipio, ut niteat aedis. Habes, quod facias: propere abi intro. — i. t. hyp.
Tu esto lectisterniator. — Tu argentum eluito; idem exstruito. t. t.
Haec, quom ego a foro revertor, facite ut obfendam parata:
Vorsa, sparsa, tersa, strata, lautaque, coctaque, omnia uti sint:
Nam mi hodie natalis dies est: decet eum omnes concelebrare.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua iaceant. Satin' audis?
Magnifice volo me summos accipere: ut mihi rem esse reantur.
Intro abite atque haec celebrate: ne mora quae sit, cocus quom veniat,
Mihi. Ego eo in macellum: ut, piscium quidquid est, pretio praestinem. t. t. c.

---

18. Ita MS. Meurs. et vett. mediaeque aetatis edd., nisi quod in illis quoque habetur glossema *atque me*, quod ne versus quidem capit. V.: *N. ita anim. estis vos. vincite hoc dur. ergo atque me.* — 19. Codd.: *H. vide sis, ut al. r. a.* — 22. Malim: *Quid nunc?* — 26. V.: *It. vos quoque* (Mediol. a. 1500.: *quoque vos*) *estis plagis omnes*, et 28. *niteant aedes.* — 28. V.: *propera, abi i.* — 31. Sic Acid. Div. in Plaut. p. 344. V.: *V., praesterga, strata* etc. Diomed. p. 375. Putsch.: *Versa, sparsa.* — 32. V.: *omnes vos.* — 34. V. ab interpretatione, numerisque asperrimis: *viros summos.* Terent. Ad. 3, 2, 54.: *Nam is nostro Simulo fuit summus.* et Eun. 2, 2, 40.: *Summum suum.* Cic. de Or. 2, 20.: *Si intelligam, posse ad summos pervenire.*

I, puere, prae: crumenam ne quisquam pertundat, cautio est. i. t.
Vel opperire: est, quod domi fui dicere paene oblitus. i. t. c.
Auditin'? Vobis, mulieres, hanc habeo edictionem,
Vos, quae in mundiciis mollitiis deliciisque aetatulam agitis t. t.
Viris cum summis, inclutae amicae: nunc ego scibo atque hodie experiar, i. t. h.
Quae capiti, quae ventri operam det, quaeque rei, quae somno studeat. t. t.
Quam libertam fore mihi credam, et quam venalem, hodie experiar.
Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant:
Nam nisi annuus convenit hodie, penus, cras populo prostituam vos.
Natalem hunc diem mi esse scitis: ubi isti sunt, quibus vos oculi estis,
Quibus vitae, quibus deliciae, quibus savia, mammillae mellitae?
Manipulatim munerigeruli facite ante aedis iam hic mihi adsint!
Cur ego vestem, aurum, atque ea, quibus vobis usust, praehibeo?
Quid domi, nisi malum, vostra opera est, improbae, vini modo cupidae?
Eo vos vostros panticesque adeo madefacitis, quom ego sim siccus. i. t. h.
Nunc adeo hoc factu est optumum, ut nomine quamque adpellem suo: i. t.
Ne dictum esse actutum sibi quaepiam vostrarum mihi neget.
Advertite animum cunctae! i. d. c.
Principio, Hedylium, tecum ago, quae amica es frumentariis, i. t.
Quibus cunctis montes maxumi domi sunt frumenti: i. tr. hyp.
Fac, sis, sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis i. t.

---

38. Sarrac., Mediol., Lamb.: *est q. d. dic. paene sum obl.* non displiceret *e. q. domi sum dic. p. o.* — 42. Libri: *quaeque suae rei.* — 47. V.: *del. estis.* — 49. V.: *quibus est vobis usui.* — 50. vid. praefat. de h. l. — 51. Ll.: *sim hic siccus.* — 54. Versus brevior longioribus immixtus, tanquam clausula, more horum poëtarum. Cf. 60, Rud. 4, 4, 23, 88, 94 etc. — 56. V.: *Q. c. m. maxumi acervi frumenti sunt domi. acervi* interpretatio est *eōs montes.*

Mi et familiae omni sit meae, atque adeo ut frumento adfluam:
Ut civitas nomen mihi commutet, meque ut praedicet
Lenone ex Ballione regem Iasonem. i. s.
Ca. Audin', furcifer quae loquitur? satin' magnificus tibi videtur? t. t.
Ps. Pol istic, atque etiam malificus. Sed tace atque hanc rem gere. i. t.
Ba. Aeschrodora, tu, quae amicos tibi habes lenonum aemulos t. t. c.
Lanios, qui item ut nos iurando iure malo rem quaerunt, audi! t. t.
Nisi carnaria tria gravida tergoribus onere uberi hodie
Mihi erunt: cras, quasi Dircam olim, ut memorant, duo gnati Iovis t. t. c.
Devinxere ad taurum, item hodie te stringam ad carnarium.
Id tibi profecto taurus fiet. Ps. Nimis sermone huius ira incendor! i. t. hyp.
Hunccine hic hemonem colere pati iuventutem Atticam? asyn., b. d. et i. d.
Ubi sunt, ubi latent, quibus aetas integra, qui amant a lenone? t. t.
Quin conveniunt? quin una omnes peste hac populum liberant? t. t. c.
Sed nimium stultus, nimium indoctus fui, ne illi id facere audeant, i. t.
Quibus uti serviant, amor cogit suus, simul prohibet, i. t. c.
Faciant advorsum eos, quod volunt. Ca. Vah, tace. Ps. Quid est? i. s.
Ca. Male morigerus male facis mihi, quom sermone huic obsenas. t. t. c.
Ps. Taceo. Ca. At taceas malo multo, quam tacere dicas. Ba. Tu autem, t. t.
Xystylis, fac ut animum advortas, quoius amatores olivi
Dynamin domi habent maxumam. t. d.

58. V.: *Mihi, etiam familiae* etc.; sed Iunt. Ald. Longol.: *Mihi et fam.* natum videtur *iam* ex *fam-*, quod sequitur. — 60. *Iasonem*, Pherarum in Thessalia tyrannum potentem et bellicosum, qui floruit circa Olympiadem 100., sive ann. ante Chr. nat. 380., aequalis Epaminondae. vid. Xenophon et interpp. eius Hist. gr. 6, 1. — 69, 70. Ll. (i. e. Libri): *hominem — integra est.* — 71. V.: *pop. hunc.* — 72. V.: *Sed nimis sum st.* librarius primum per oscitationem videtur scripsisse *nimis*, tum animadverso errore suo addidisse *um*, non deleta s littera, quoniam id genus hominum fugiebat lituras. Ita natum fuerit *nimisum*, mox *nimis sum*. Intolerabile est *sum* sequente *fui*.

Si mihi non iam culleis huc oleum deportatum erit: t. t. c.
Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportere in pergulam.
Ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias;
as. ex t. d. et i. d. c.
Sed ubi usque ad languorem.... Tenes, haec quorsum tendant, quae loquor? t. t. c.
Ain', excetra tu, quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos? t. t.
Num hodie est tua tuorum quoipiam opera conservorum
Nitidiusculum caput, aut num ipse ego pulmento utor magis t. t. c.
Unctiusculo! Sed scio: tu oleum haud magni pendis; vino t. t.
Te devincis. Sine modo: reprendam ego cuncta hercle una opera,
Nisi quidem hodie tu facis omnia haec, scelesta, uti loquor! t. t. c.
Tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque saepe numeras, t. t.
Et pacisci modo scis, sed, quae pacta es, non scis solvere t. t. c.
(Tibi, Phoenicium, ego haec loquor, deliciae summatum virum),
Nisi hodie mi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus adfertur: t. t.
Cras Phoenicium phoenicio corio invises pergulam. t. t. c.

CALIDORUS. PSEUDOLUS. BALLIO.

Ca. Pseudole, non audis, quae hic loquitur? Ps. Audio, here, equidem atque animum advorto. t. t. I, 3.
Ca. Quid mi es auctor huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?
Bene cura, sis. Ps. Liquido es animo: ego pro me et pro te curabo.
Iam diu ego huic et hic mihi volumus bene et amicitia est antiqua.

---

79. Ita MS. Ambros. V.: *deportatur*. — 83. *Ain'*. sic idem codex. V.: *En*. — 86. Non liquescit *tu;* vel legendum est *olivum*. — 86. 87. *Vino te devincis*. Propertius 3, 5, 21., annotante Douza Centur. p. 387.: *Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo*. MSS., si qua Pareo fides, *Te devincis*, ut Palat., quem ipse adhibui, vel *Te devincis*, quod fuisse videatur initio *Ted inungis* (Tedlungis, Tedluncis); sed nihil muto. — 90. *Et pacisci*. V.: *Es pac*. — Act. I, 3, 3. *Bene cura, sis*. Perperam libri sub persona Pseudoli: *B. curassis*. MS. Ambros. a correctione, ut opinor: *Nihil curassis*.

Mittam hodie huic suo die natali rem malam magnam et maturam.
Ca. Quin opus est. Ps. Potin', aliam rem uti cures? Ca. At... Ps. Bat. Ca. Crucior! Ps. Cor dura. asyn., t. d, et i. d. h.
Ca. Non possum ego. Ps. Fac possis. Ca. Quonam pacto possim vincere animum? t. t.
Ps. In rem quod sit, praevertaris, quam red advorsa animo aucultes.
Ca. Nugae istaec sunt: non iucundum est, amans nisi facit stulte. Ps. Pergin'? asyn., t. d. et i. d. h.
Ca. O mi Pseudole, sine sim nihili! mitte me, sis! Ps. Sine modo ego abeam. t. t.
Ca. Mane, mane: iam, uti voles med esse, ita ero. Ps. Nunc tu sapis. t. t. c.
Ba. It dies! ego mihi concesso. I prae, puere. Ca. Heus, abit! Quin revocas, t. t.
Pseudole? quin properas, priusquam abeat? Ba. Quod hoc malum? tam placide is, puere! as., t. d. et i. d. h.
Ps. Hodie nate, heus, hodie nate! tibi ego dico! heus, hodie nate! t. t.
Redi et respice ad nos, tametsi occupatus! b. t.
Ba. Moramur. Ps. Mane: sunt, conlequi qui volunt te.
Ba. Quid hoc est? quis est, qui moram occupato as. ex b. d. et i. h.
Molestam obtulit? Ca. Qui tibi sospitalis
Fuit. Ba. Mortuost, qui fuit; qui est, vivust.
Ps. Nimis superbe! Ba. Nimis molestus! Ca. Reprehende hominem! adsequere! Ba. I, puere! Ps. Hac t. t.
Occedamus obviam. t. d. c.
Ba. Iupiter te perdat, quisquis es! Ps. Te volo. Ba. At vos ego ambos. t. t.
Verte hac te, puere! Ps. Non licet te conloqui? Ba. At mihi non lubet. i. t.

---

6. *Quin o. est.* Inepte ll.: *Quid o. est?* cf. 13. — 12. Ita Pal. V.: *cesso.* deinde ll.: *abiit.* — 13. V.: — *revocas?* Ps. *Quid properas? placide.* Ca. *At priusquam abeat.* Sed non properat Calidorus, neque ipse agit initio cum lenone: Pseudolum revocare iubet hominem, ac propere, priusquam abeat. Nomen *Pseudole* habuerunt pro nota personae, qui error haud infrequens est in his fabulis: vide 4, 1, 49; 4, 6, 4; 5, 2, 34. *at* natum videtur ex — *as* vicino, vel immissum est de industria simul cum persona Calidori, postquam scribi coepit *Quid properas?* de quo cf. 6. Tum τὸ *placide* huc aberravit ab iis, quae sequuntur. vel adscripsit aliquis verba *Quid properas?* placide, qui legerat 4, 1, 18. — 15, 16. V.: — *ad nos, tam. occupatus, moramur, mane:* etc. Puerum suum, tardius euntem, iterum Ballio increpat verbo *Moramur.* — 21. Non liquescit *volo.*

Ca. Sin tuam est quidpiam in rem? Ba. Licetne, obsecro, c. t.
Bitere, an non licet? c. d.
Ps. Vah, manta! Ba. Omitte! Ca. Ballio, audi! Ba. Surdus sum. i. s.
Profecto inanilogistae. i. d. c.
Ca. Dedi, dum fuit. Ba. Non peto, quod dedisti. b. t.
Ca. Dabo, quando erit. Ba. Ducito, quando habebis.
Ca. Heu heu, quam ego malis perdidi modis, as., 2 t. h.
Quod tibi detuli et quod dedi! Ba. Mortuae c. t.
Verba re nunc facis. Stultus es: rem actam agis.
Ps. Nosce saltem hunc, quis est. c. d.
Ba. Iam diu scio, qui fuit; nunc qui est, ipsus sciat. Ambula tu. t. t.
Ps. Potin', uti semel modo, Ballio, huc cum lucro respicias? as. t. d. et i. d. c.
Ba. Respiciam istoc pretio: nam si sacrificem summo Iovi, t. t. c.
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci
Si lucri quid detur: potius rem divinam deseram.
Non potest pietati obsisti huic, utiuti res sunt ceterae.
Ps. Deos quidem, quos maxume aequom est metuere, eos minumi facit. i. t.
Ba. Compellabo. — Salve multum, serve Athenis pessume. t. t. c.
Ps. Di te deaeque ament vel huius arbitratu vel meo;
Vel, si dignus alio pacto, neque ament nec faciant bene.
Ba. Quid agitur, Calidore? Ca. Amatur atque egetur acriter. i. t.
Ba. Misereat, si familiam alere possim misericordia. t. t. c.
Ps. Heia, scimus nos quidem te, qualis sis: ne praedices.
Sed scin', quid nos volumus? Ba. Pol ego propemodo: ut male sit mihi.
Ps. Et id, et hoc, quod te revocamus. Quaeso, animum advorte. Ba. Audio;

---

25. *Bitere* pro *Vivere* Lipsius Epist. Quaest. 1, 14. — 27. *inanilogistae* (estis), i. e. mali calculatores, quibus haud bene subducta ratio est, cum me denuo fallere instituistis. Sic nostrates: Ihr habt euch verrechnet. Haec Palatt. codicum scriptura. V.: *inanilogus es.* Vox hibrida, ridiculi causa ficta. — 34. Decurt.: *qui est is.* V.: *quis est is.* — 39. MSS. et Longol.: *pietati.* vulgo edd.: *pietate.* — *utiuti.* V.: *ut.* Longol., Acidal.: *utut.* — 48. Ll. uno tenore: *Et id, et h. qu. te rev., quaeso an. adv.*, cum hae duae sint sententiae, et verba *Et — revocamus* supplenda sint τῷ *volumus*, quod antecessit.

Atque in pauca, ut occupatus nunc sum, confer, quid velis.
Ps. Hunc pudet, quod tibi promisit, quaque id promisit die:
Quia tibi minas viginti pro amica etiam non dedit.
Ba. Nimio id, quod pudet, facilius fertur, quam illud, quod piget:
Non dedisse, istunc pudet; me, quia non accepi, piget.
Ps. At dabit, parabit. Aliquot hos dies manta modo:
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.
Ba. Fuit occasio, si vellet, iampridem argentum ut daret.
Ca. Quid, si non habivi? Ba. Amabas. Invenires mutuom,
Ad danistam devenires, adderes foenusculum,
Subriperes patri. Ps. Subriperet hic patri, audacissume?
Non periclum est, ne quid recte monstres. Ba. Non lenonium est.
Ca. Egon' patri subripere possim quidquam, tam cauto seni? i. t.
Atque adeo, si facere possim, pietas prohibet. Ba. Audio. t. t. c.
Pietatem ergo istam amplexator noctu pro Phoenicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo praevortere:
Omnes homines tibi patres sunt? nullus est tibi, quem roges
Mutuom argentum? Ca. Quin nomen quoque iam interiit Mutuom.
Ps. Heus tu, postquamde hercule isti a mensa surgunt saturi, poti; t. t.
Qui suom repetunt, alienum reddunt nato nemini: t. t. c.
Postilla omnes cautiores sunt, ne credant alteri.
Ca. Nimis miser sum: numum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser et amore pereo et inopia argentaria.
Ba. Eme die coeca hercle olivom; id vendito oculata die:
Iam hercle vel ducentae fieri possunt praesentes minae.
Ca. Perii, an non tum lex me perdit quina vicennaria?

---

57. V.: *habui*. — 59. *Surriperes* Iunt., Ald., Longol. V.: *Surripuisses*. — 69. V.: — *nemini*, *Ab alienis caut. sunt.* sequor codicem Ambros. Notantur argentarii seu trapezitae bonis cedentes, quorum magnum fuisse numerum tempore belli Punici secundi credibile est. Eos *saturos* et *potos* dicit μεταφορικῶς, i. e. ditatos, de mensa sua surgere solere per dolum, postquam suas pecunias repetiverint, ab aliis autem acceptas non reddere. Quare iam neminem reperiri, qui det argentum mutuum. — 74. V. *vicenaria*. Legem tulit M. Laetorius Plancianus, tribunus Plebis, a. U. c. 490., ante Chr. nat. 265., secundo belli primi Punici, contra circumscriptiones adolescentum. Ea enim cautum est, ne 25 annis minores stipulari possent, auctore Suetonio l. 4. Rhetor. ap. Priscianum. cf. Ernest. Clav. Cic. indice Legum, v. Laetoria, Rud. 5, 3, 25.

Metuont credere omnes. Ba. Eadem est mihi lex: metuo credere.
Ps. Credere autem? Eho, poenitet te, quanto hic fuerit usui?
Ba. Non est iustus quisquam amator, nisi, qui perpetuat data.
Det usque; quando nil siet, simulde amare desinat. i. t.
Ca. Nilne mei miseret te? Ba. Inanis cedis: dicta non sonant. t. t. c.
Atque ego te vivom salvomque vellem. Ps. Eho, an iam mortuost?
Ba. Utut est, mihi quidem profecto cum istis dictis mortuost.
Eloco vixit amator, ubi lenoni neplacet.
Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia:
Nam istuc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere. Ps. Eho, an tu unquam huius nupsisti patri?
Ba. Di melius faxint! Ps. Fac, hoc, quod te rogamus, Ballio,
Mea fide, si isti formidas credere: ego in hoc tridue
Aut terra aut marid alicunde evolvam id argentum tibi.
Ba. Tibi ego credam? Ps. Cur non? Ba. Quia pol, qua opera credam tibi,
Una opera adligem canem fugitivam agninis lactibus.
Ca. Siccine mi abs te bene merenti male refertur gratia?
Ba. Quid nunc vis? Ca. Ut opperiare hos sex dies saltem modo,
Ne illam vendas neu me perdas hominem amantem. Ba. Animo bono es:
Vel sex mensis opperibor. Ca. Euge, homo lepidissume!
Ba. Imo vin' etiam te faciam ex laeto laetantem magis?
Ca. Quid iam, Ballio? Ba. Quia enim non venalem habeo Phoenicium.
Ca. Non habes? Ba. Non hercle vero. Ca. O Pseudole, arcesse hostias,
Victimas, lanios: ut huic ego sacrificem summo Iovi:
Nam hic mihi nunc est multo potior Iupiter quam Iupiter.

---

76. V.: *Eho, an poen.* — 78. V.: — *data, Datque usque. qu. nihil sit* etc. Palat. et ed. vetus Mediol.: *Detque.* — 82. Verbum *vixit* producta syllaba posteriore ante vocalem legendum est vi caesurae; qua de re vide N. Heinsium ad Ovid. Met. 1, 114, Wasii Senar. cap. 5., nos ad Plaut. Amph. 483. 1. ed. — *neplacet* recte Acidal. pro *placet*. *ne* haustum fuerit a *-ni* vicino. — 86. codex Ambros.: *Di meliora f.* V.: *Di melius faciant.*

Ba. Nolo victimas; at minumis me extis placari volo.
Ca. Propera, quid stas? arcesse agnos! Audin', quid ait Iupiter?
Ps. Iam hic ero; verum extra portam Metiam currendum est prius.
Ca. Quid eo? Ps. Lanios inde arcessam duo cum tintinabulis;
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero:
Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Iovi.
In malam crucem istic ibit Iupiter lenonius.
Ba. Ex tua re non est, ut ego ecmoriar. Ps. Quidum? Ba. Ego dicam tibi: i. t.
Quia edepol dum ego vivos vivam, nunquam eris — frugi bonae. t. t. c.
Ps. Ex tua re non est, ut ego ecmoriar. Ba. Quidum, Pseudole? Ps. Sic: quia, i. t.
Si ego ecmortuos sim, Athenis te sit nemo nequior. t. t. c.
Ca. Dic mihi, obsecro hercle, verum serio hoc, quod te rogo:
Non habes venalem amicam tu meam Phoenicium?
Ba. Non edepol habeo profecto: nam iampridem vendidi.
Ca. Quomodo? Ba. Sine ornamentis, cum intestinis omnibus.
Ca. Meam tu amicam vendidisti? Ba. Valde; viginti minis. i. t.
Ca. Viginti minis? Ba. Utrum vis, vel quater quinis minis, Militi Macedonio. Et iam quindecim habeo minas.

101. Emendatio I. Scaligeri et aliorum, quam libris vett. firmari dicunt. Pal. quidem: *N. v. ac nimis me extis* etc. V.: *N. v.: agninis* etc. cf. annotata ad sequ. versum. — 102. Ridicule leno *minima exta* dixerat minas argenti, sed Cal. ea se intelligere simulat minimas hostias, sive agnos. loci similes sunt Truc. 4, 2, 28; 5, 56. — 103. Extra *portam Metiam* (Cas. 2, 6, 2; cf. Mil. 2, 4, 6.) Romae fuit domus carnificum et solennis supplicii locus. vid. Lips. de Cruc. 3, 5. *lanios* servus dicit carnifices. *Mētiam* i liquescente pronuntiandum est, quasi esset *Metiam*. — 104. *tintinabulis* carnifices ornabant noxios tanquam hostias, deinde virgis caedendos et ultimo supplicio afficiendos. v. Gronov. et cf. Truc. 4, 3, 8. — 115. *Sine — omnibus.* Translatum a venditione aedium, in quibus *opus intestinum*, i. e. fundus cum aedificiis, et *ornamenta*, quae et *ruta caesa* vocabantur, i. e. supellex, carbones (das Mobiliar), arbores hortorum, aliaque id genus. Cum vendebantur aedes, opus intestinum fiebat emtoris, ornamenta recipiebantur; solebant tamen liberales venditores aliquid eorum concedere emtori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videretur, ut ait Cic. in fine Topicorum. Igitur leno Phoenicium ipsam sive personam eius se vendidisse dicit, vestem et aurum recepisse. Cf. Gronov. — 118. Postrema verbi *quindecim* non liquescit, figura satis frequente apud hunc Nostrum, praesertim in vocibus, quae momentum habent. Cf. Asinar. 4, 1, 11, 12, 14, 15, 17, 30, 31, 34 etc.

Ca. Quid ego ex te audio? Ba Tuam amicam esse factam argenteam.
Ca. Cur id ausus facere? Ba. Lubuit: mea fuit. Ca. Eho, Pseudole, t. t. c.
I, gladium adfer .... Ps. Quid opus gladio? Ca. Qui istunc occidam atque me.
Ps. Quin tu ted occidis potius? nam hunc fames iam occiderit.
Ca. Quid ais, quantum in terra degit, hominum periurissume?
Iuravistin', te illam nulli venditurum, nisi mihi?
Ba. Fateor. Ca. Nempe conceptis verbis. Ba. Etiam consultis quoque.
Ca. Periuravisti, sceleste! Ba. At argentum intro condidi.
Ego scelestus nunc argentum promere potis sum domo;
Tu, qui pius es, istoc genere gnatus, numum non habes.
Ca. Pseudole, adsiste atque altrinsecus onera hunc maledictis. Ps. Licet.
Nunquam ad praetorem aeque cursim curram, ut emittar manu.
Ca. Ingere mala multa. Ps. Iam ego te differam dictis meis.
Inpudice! Ba. Ita est. Ps. Sceleste! Ba. Dicis vera. Ps. Verbero!
Ba. Quippini? Ca. Bustirape! Ba. Certe. Ca. Furcifer! Ba. Factum optume!
Ca. Sociofraude! Ba. Sunt mea, eccista. Ps. Parricida! Ba. Perge tu.
Ps. Sacrilege! Ba. Fateor. Ca. Periure! Ba. Vetera vaticinamini.
Ca. Legirupa! Ba. Valide. Ps. Pernicies adulescentum! Ba. Acerrume.
Ca. Fur! Ba. Babae! Ps. Fugitive! Ba. Bombax! Ca. Fraus populi! Ba. Planissume.
Ps. Fraudulente! Ca. Inpure leno! Ps. Coenum! Ba. Cantores probos!
Ca. Verberavisti patrem atque matrem. Ba. Atque occidi quoque
Potius quam cibum praehiberem. Num peccavi quidpiam?
Ps. In pertusum ingerimus dicta dolium; operam ludimus.
Ba. Numquid alium me etiam voltis dicere? Ca. Ecquid te pudet?

---

123. *quantum in t. degit.* Emendatio Lipsii Ant. Lectt. 4, 4 V.: *qu. terra tegit*, quod frustra defenditur. — 127. *potis sum* Codd.: *possum*. — 134. *eccista.* Palat.: *ec ista.* V.: *haec ista.*

Ba. Ted amatorem esse inventum inanem, quasi cassam nucem.
Sed quanquam mala, multaque, in me dicta dixistis modo:
Nisi mihi iam attulerit miles quinque, quas debet, minas,
Sicut haecce praestituta summa est argento dies,
Si is non aderit, posse opinor facere officium me meum.
Ca. Quid id est? Ba. Si tu argentum attuleris: cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est officium. Ego, operae si sit, plus tecum loquar;
Sed sine argento frustra est, quod me tui misereri postulas.
Haec mea est sententia; at tu, hinc porro quid agas, consulas.
Ca. Jamne abis? Ba. Negoti nunc sum plenus: paulo post magis. —
Ps. Illic homo meus est! nisi omnes di me atque homines deserunt:
Exossabo illum ego simulter itidem, ut muraenam cocus.
Sed nunc, Calidore, te operam mihi volo dare. Ca. Ecquid imperas? i. t.
Ps. Hoc ego oppidum admoenire, ut hodie capiatur, volo. t. t. c.
Ad eam rem usust hominem astutum, doctum, scitum, callidum,
Qui imperata ecfecta reddat; non, qui vigilans dormiat.
Ca. Cedo mihi, quid es facturus? Ps. Temperi ego faxo scies. i. t.
Nolo bis iterari: sat sic longae fiunt fabulae. t. t. c.
Ca. Optumum atque aequissumum oras. Ps. Propera! addue hominem cito!
Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
Ca. Ego scio istuc. Ps. Ergo utcunque tibi nunc delectum para:
Ex illis exquire multis unum qui certus siet.
Ca. Iam hic faxo aderit. Ps. Potin', ut abeas? tibi moram dictis creas.

---

146. Fortasse Plautus dixit: *S. haec est pr. summad arg. d.* Temere Lamb.: *S. h. est pr. numerando a. d.* — 147. *me* probabiliter additum est a Lambino metri gratia. Alioqui scribendum foret *facered off. meum.* — 151. V.: *H. m. e. sent., ut tu — consulas*, quibus verbis leno nihil nisi suaderet Calidoro, ut consuleret hac de re secum. Sed haec duo sunt enuntiata: primum, se ita sentire; alterum, se auctorem esse adolescenti, ut, quid porro agendum sit, consulat. Permutatae inter se a et u litterae, ut passim. v. annot. ad Mil. 11. in ed. l. nostra. — 154. Ita Non. v. Simulter. V.: *similiter.* — 157. V.: *et call.* — 158. Vett.: *ecfecta* vel *haec facta.* V.: *effecta.* — 163. *utcunque.* Codd. incpte: *utrimque.* — *delectum.* quasi militum. cf. Rud. 4, 8, 15.

PSEUDOLUS.

Postquam illic abiit: tu adstas solus, Pseudole! i. s. I, 4.
Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? ubi sunt ea?
Quoi neque parata gutta certi consili,
Neque adeo argenti; neque nunc, quid faciam, scio. —
Neque, exordiri primum unde occipias, habes,
Neque detexundam ad telam certos terminos;
Sed quasi poëta, tabulas quom cepit sibi,
Quaerit, quod nusquam est gentium, reperit tamen;
Facit illud verisimile, quod mendacium est:
Nunc ego poëta fiam: viginti minae
Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen!
Atque huic iampridem ego me daturum dixeram,
Ac volui iniicere tragulam in nostrum senem;
Verum is nescio quo pacto praesensit prius.
Sed conprimenda est vox mihi atque oratio:
Herum eccum videod huc Simonem una simul
Cum suo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Ecfodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam: ut horunc sermonem legam.

SIMO. CALLIPHO. PSEUDOLUS.

Si. Si de damnosis aut si de amatoribus i. s. I. 5
Dictator fiat nunc Athenis Atticis:
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus,
Eum velle amicam liberare, et quaerere
Argentum ad eam rem. Hoc alii mihi renuntiant,
Atque id iampridem sensid et subolet mihi.
Ps. Occisa est haec res; haeret hoc negotium!
Quo conmeatum volui in argentarium
Proficisci, ibi nunc oppido obsepta est via.
Praesensit: nihil est praedae praedatoribus.
C. Homines qui gestant quique auscultant crimina,
Meo si arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus.

Act. I, 4, 1. V.: *illic hinc.* sed *hinc* (ic, hic) natum videtur ex *-ic*, quod antecedit. Repudiat autem versus. — Act. I, 5, 7. Post hunc versum haec habet codex Ambros.:
Sed dissimulabam. Iam illi . . . . (illudetur?) *filius.*

Nam istaec, quae tibi renuntiantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forsitan ea dicta sunt tibi mendacia;
Sed vera si sunt, ut nunc mos est, maxume:
Quid mirum fecit, qui novom, adulescens homo,
Si amat, si amicam liberat? Ps. Lepidum senem!
Sr. Vetus nolo faciat. C. At enim nequidquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adulescentia!
Probum patrem esse oportet, qui gnatum suom
Probiorem esse quam ipsus fuerit, postulet.
Nam tu quod damni et quod fecisti flagiti,
Populo viritim potuit dispartirier.
Idne tu miraris, si patrissat filius?
Ps. Ὦ Ζεῦ, quam paucid estis homines commodi!
Hem, illuc est patrem esse, ut aequom est, filio!
Sr. Quis hic loquitur? Meus quidem hic est servos Pseudolus.
Hic mihi conrumpit filium, scelerum caput;
Hic dux, hic illi est paedagogus: hunc ego
Cupio excruciari. C. Iam istaec insipientia est,
Sic iram in promtu gerere. Quanto satius est
Adire blandis verbis atque exquirere,
Sint illa necne sint, quae tibi renuntiant?
Bonus animus in mala re dimidium est mali.
Sr. Tibi auscultabo. Ps. Itur ad te, Pseudole:
Orationem tibi para advorsus senem. —
Herum saluto primum, ut aequum est; postea,
Si quid superfit, vicinos inpartio.
Sr. Salve. Quid agitur? Ps. Statur hic ad hunc modum.
Sr. Statum vide hominis, Callipho, quam basilicum!
C. Bene confidenterque adstitisse intellego.
Ps. Decet innocentem, qui sit, atque innoxium
Servom superbum esse apud herum potissumum.
C. Sunt, quae te volumus percontari, quae quasi

---

18. V.: occultata voce *vera* et frustra repetito *ea*, quod videtur aberrasse a superioribus: *Sed si vera ea sunt.* — 21. *Vetus*, rem veterem et quasi obsoletam. Opponitur *novum* 19. — 24. Non liquescit *Probiorem*, vox gravis. Hoc nescientes librarii dederunt *Esse probiorem*. Vide annott. ad 1, 3, 118. — 27. Numeri durissimi, correpta priore syllaba, et elisa ante consonam posteriore, verbi *Idne*. Vereor, ne *Idne* natum sit ex *Idnc* (Id nunc); pronomen inculcatum fuerit a. Metrico. — 29. *Hem*. Scripti: *Em*, quod potest ut fuerit *Em* (Enim), verbum haud ineptum, seu sententiam, seu metrum consideres. — 39. V.: *advorsum*. — 45. V.: *innoxius*, quod sapit soloecismum. Non ceperunt librarii anacoluthon verborum *Decet inn., qui sit*, quod valet: Decet eum, qui sit innocens.

Per nebulam nosmet scimus atque audivimus.
Si. Conficiet iam te hic verbis: ut tu censeas
Non Pseudolum, sed Socratem, tecum loqui.
Ps. Ita est. Iampridem tu me spernis, sentio;
Parvam esse apud te mihi fidem, ipse intellego;
Cupis, me esse nequam: tamen ero frugi bonae.
Si. Fac, sis, vacivas, Pseudole, aedis aurium:
Mea ut migrare dicta possint, quo volo.
Ps. Age, loquere quidvis, tametsi tibi suscenseo.
Si. Min' domino servos tu suscenses? Ps. Nam tibi
Mirum id videtur? Si. Hercle qui, ut tu praedicas,
Cavendum est mi abs te irato, haudque alio tu modo
Me verberare, atque ego te soleo, cogitas. —
Quid censes? C. Edepol merito esse iratum arbitror,
Quom apud te stet parum fides. Si. Iam sic sino:
Iratus sit; ego, ne quid noceat, cavero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? Ps. Si quid vis: roga.
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
Si. Advorte ergo animum et fac sis promissi memor.
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare... Ps. Nαὶ γάρ. Si. Liberare quam velit.
Ps. Καὶ τοῦτο ναὶ γάρ. Si. Ecquas viginti minas
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Paritas ut auferas a me? Ps. Abs te ego auferam?
Si. Ita, quas meo gnato des, qui amicam liberet?
Fatere? Dic. Ps. Καὶ τοῦτο ναί! καὶ τοῦτο ναί!
Si. Fatetur! Dixin', Callipho, dudum tibi?
C. Memini. Si. Cur haec, ubi tu rescivisti eloco,
Celata me sunt? cur non rescivi? Ps. Eloquar:

---

57. *nam.* V.: *iam.* — 58. *Hercle qui — cavendum.* Haec quoque familiariter dicta sunt per anacoluthon pro hoc: *Hercle qui cavere debeo.* — 59. *haudque.* perperam libri: *atque.* — 61. *Quid censes?* (Was meinst du? wie gefällt dir Dies?) Ita Simo ad Calliphonem, expectans, eum castigaturum esse Pseudoli impudentiam. Sed contra mitis senex merito illum irasci dicit. Male haec sub Calliphonis persona leguntur in codd. cf. 79. 64, 67. *Quid ais?* Formula de re nova aliquem compellantium. — 65. *Delphis* ex tripode Apollinis, ut pro certissimo habendum sit. Cic. ad Brut. epist. 1., annotante Gronovio: *Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta: nihil potest esse verius.* — 68—73. Libri vett. depravatis graecis: *M. amare naegar (negar) mea (meae) est.* (abhorrent a metro verba *mea est*, quae fuit cum nata putarem ex *eī ita est, emia est* etc., quibus aliquis reddiderit graeca Nαὶ γὰρ.) — *Cetu (Ceu) ton katto negras (kattoito negaris) — fateri. Dichaytoyna chaitoyionai.* V.: *M. amare?* Ps. *Negare meum est.* — Ps. Καὶ τοῦτο καὶ τοῦτο *nego.* — *Fateri* δῆ καὶ τοῦτο ναὶ, καὶ τοῦτο ναί. — 75. Pal.: *tu ubi.*

Quia nolebam ex me morem progigni malum,
Herilem ut servos criminaret apud herum.
Si. Iuberes hunc praecipitem in pistrinum trahi?
C. Numquid, Simo, peccatum est? Si. Imo maxume.
Ps. Desiste: recte ego rem meam sapio, Callipho.
Peccatan' ea sunt? Animum advorte nunc iam,
Quapropter nati amoris te expertem habuerim:
Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
Si. Non a me scibas pistrinum in mundo tibi,
Quom ea mussas? Ps. Scibam. Si. Cur non dictum est mihi? Ps. Quia
Illuc malum aderat, istuc aberat longius;
Illud erat praesens, huic erant dieculae.
Si. Quid nunc agetis? nam hinc quidem a me non potest
Argentum auferri, qui praesertim senserim.
Ne quisquam credat numum, iam edicam omnibus.
Ps. Nunquam edepol quoiquam supplicabo, dum quidem
Tu vives: tu, tu, tu mi hercle argentum dabis;
Abs te equidem sumam. Si. Tu a me sumes? Ps. Strenue.
Si. Excludito mi hercle oculum, si dedero! Ps. Dabis.
Iam dico, ut a me caveas. C. Certe edepol scio:
Si abstuleris, mirum et magnum facinus feceris.
Ps. Faciam. Si. Si non abstuleris? Ps. Virgis caedito.
Sed quid, si abstulero? Si. Do Iovem testem tibi,
Te aetatem inpune habiturum. Ps. Facito, ut memineris.
Si. Egon' ut cavere nequeam, quoi praedicitur?
Ps. Praedico, ut caveas. Dico, inquam, ut caveas. Cave.
Hem, istis mihi tu hodie manibus argentum dabis!
C. Edepol mortalem graphicum, si servat fidem!
Ps. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
Si. Bene atque amice dicis: nam nunc iam meus.
Ps. Vin' etiam dicam, quod vos mage miremini?
C. Studeo hercle audire: nam ted ausculto lubens.
Si. Agedum: nam satis lubenter te ausculto loqui.
Ps. Priusquam istanc pugnam pugnabo ergo etiam prius

---

78. V.: *Herum ut a. suum cr. a. h.* Libri vett. non habent *suum*. Cf. argum. fabulae huius 6., Truculenti 4. et Acidal. ad Capt. prol. 8, ubi notat, versus verbaque horum argumentorum fere ex ipsis fabulis petita esse. — 82. V.: *Peccata mea sunt.* — 86. V.: *mussitabas.* — 106. *Bene — dicis.* formula honeste aliquid negantium sive recusantium. Vide nos ann. ad Curcul. 5, 2, 12. (605.) ed. 1. Ironice Simo iam servum suum esse ait Pseudolum, quamvis proprie filii: quoniam is ipse in patris potestate est. — 110. *ergo.* V.: *ego*, quod debili metro arguitur. Saepius confusa *eo, ego, ergo* et similia.

Dabo aliam pugnam clarum et commemorabilem.
Si. Quam pugnam? Ps. Hem, ab hoc lenone vicino tuo
Per sycophantiam atque per dictos dolos
Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepide lenonem. Si. Quid est?
Ps. Ecfectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.
Si. Si quidem istaec opera, ut praedicas, perfeceris:
Virtute regid Agathocli antecesseris.
Sed si non faxis: numquid causae est, eloco
Quin te in pistrinum condam? Ps. Non unum diem;
Verum hercle in omnis, quantum est. Sed si ecfecero:
Dabin' mi argentum, quod dem lenoni, eloco
Tua voluntate? C. Ius bonum orat Pseudolus:
„Dabo," inquo. Si. At enim scin', quid mihi in mentem venit?
Quid si hice inter se consenserunt, Callipho,
Aut de conpacto faciunt consutis dolis,
Qui argento circumvortant? Ps. Quis me audacior,
Si istuc facinus facere audeam? Imo sic, Simo,
Si sumus conpacti, seu consilium inivimus,
Aut si de ea re unquam inter nos convenimus:
Quasi quom in libro scribuntur calamo literae,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
Si. Indice ludos nunc iam, quando lubet.
Ps. Da in hunc diem operam, Callipho, quaeso, mihi:
Ne quo te ad aliud occupes negotium.
C. Quin, rus ut irem, iam heri constituveram . . . .
Ps. At nunc disturba, quas statuisti, machinas.
C. Nunc non abire certum est istac gratia:

---

118. *Agathoclis*, Syracusarum tyranni, nomen clarum fuit apud Romanos propter bellum, quod gessit cum Carthaginiensibus per quadriennium ab anno ante Chr. nat. 310., cum et devicit eos, et in Africa, quo perrupta obsidione traiecerat, plura illorum cepit oppida, Carthaginique imminebat; sed mox fusus rediit in Siciliam et, pace facta, ipsorum ope Carthaginiensium, cum a Dinocrate et exulibus Syracusanis impugnaretur, se sustinuit, mortuus a. ante Chr. 289. Commemorat eum Pl. etiam Menaechmis 2, 3, 58., et Mostell. 3, 2, 88. servus Tranio: *Alexandrum magnum*, inquit, *atque Agathoclem aiunt maxumas Duo res gessisse: quid mihi fiet tertio, Qui solus facio facinora immortalia?* — 120. Libri ὑπερμέτρως: *Non un. quidem Diem modo, verum* etc. — 127, 28. V.: *Qui me arg. c.* Ps. *Q. me aud. sit, si istuc fac. aud. facere? (dicere* Pal. et vett. edd.) Glossemata item inconcinna. — 129, 30. V.: — *consilium unquam in., De istac re, aut si* etc., quae versus non capiunt; nec dubito quin *unquam* immigraverit ex sequentibus, et verba *De istac re* explicandi gratia adscripta sint.

Lubido est ludos tuos spectare, Pseudele.
Et si hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit: potius quam id non fiat, ego dabo.
Si. Non demutabo. Ps. Namque edepol, si non dabis,
Clamore magno et multam flagitabere.
Agite, amolimini hinc vos intro nunc iam,
Ac meis vicissim date locum fallaciis.
Si. Fiat. C. Geratur mos tibi. Ps. Sed te volo
Domi usque adesse. Si. Quin tibi hanc operam dico.
C. At ego ad forum ibo. Iam hic adero. Si. Actutum redi.
Ps. Suspicio est mihi, nunc vos suspicarier,
Me idcirco tanta facinora haec promittere,
Qui vos oblectem, hanc fabulam dum transigam,
Neque sim facturus, quod facturus dixeram.
Non demutabo. Atque etiam, certum quod sciam,
Quo sim facturus pacto, nil etiam scio,
Nisi quia futurum est. Nam qui in scenam provenit
Nove, novom aliquid inventum adferre addecet.
Si id facere nequeat: det locum illi, qui queat.
Concedere aliquantisper hinc mi intro lubet,
Dum concenturio in corde sycophantias;
Tibicen vos interea hic delectaverit.

PSEUDOLUS.

Proh Iupiter, ut mihi, quidquid ago, lepide omnia prospereque eveniunt! asyn., anap. d. et i. d. h. II, 1.
Neque quo dubitem, neque quo timeam, meo in pectore conditum est consilium! asyn., t. d. et i. d. h.
Nam ea stultitia est, facinus magnum timido cordi credere: t. t. c.
Nam omnes res perinde sunt, ut agas, eas ut magnifacias. t. t.
Nam ego prius ita paravi duplices, triplices copias, t. t. c.
Ubiubicunque cum hostibus congrediar (maiorum meorum t. t.
Fretus virtute dicam), mea industria et c. t.
Malitia fraudulenta c. d. h.
Facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduellis meis perfidiis. t. t.
Nunc inimicum ego hunc communem meum atque vostrorum omnium, t. t. c.

156. V.: — *provenit*, *Novo modo*, *novom* etc. — Act. II, 1, 2. V.: *N. quod dub.*, *neque quod tim.*, quae vix, et ne vix quidem, expedias. Ordo: *Meo in pectore conditum est cons.*, *quo* (consilio, propter quod consilium) *neque dubitem*, *neque timeam*. — 5. Haec in libris oppleta sunt glossematis. v. praefat.

Ballionem, exballistabo lepide. Date operam modo.
Hoc ego oppidum admoenire, ut hoc die capiatur, volo,
Atque ad hoc meas legiones adducam. Si hoc expugno: as., t. d. i. d. c.
Facilem hanc rem ego civibus faciam. t. d.
Post ad vetus oppidum hoc continuo protinam exercitum meum obducam; i. t. h.
Inde me et simul participes omnis meos praeda onerabo atque opplebo.
Metum et fugam perduellibus meis iniiciam: i. tr. h.
Med ut sciant natum esse, quo sum genere gnatus.
Me facinora decet ecficere, quae post mihi clara et diu clueant. t. t.
Sed hunc, quem video, quis hic est, qui oculis as., 2 i. h.
Meis obviam ignorabilis obicitur?
Scire lubet, quid velit cum machaera,
Et hic quam rem agat. Dabo hinc insidias.

HARPAX. PSEUDOLUS.

Ha. Hi loci atque hae sunt regiones, quae mi ab hero sunt demonstratae, t. t. II, 2.
Oculis ut rationem ego capio, quam mi ita dixit herus meus, miles,
Septimas a porta esse aedis, ubi leno ille habitat, quoi iussit
Symbolum et hoc me ferre argentum. t. d.
Nimis velim, certum qui id faciat mihi, ubi Ballio leno hic habitat! t. t.
Ps. St, tace! Meus hic est homo, ni omnes di me atque homines deserunt! t. t. c.
Novo consilio nunc mi opust: nova res mi haec subito obiecta est. i. t. c.

14. V.: *Fac. ego hanc r. meis civ.*, cum Pseudolus non sit civis. Monosyllabum *rem*, sub ictu positum, neque hic neque 23. liquescit. — 15. *Post ad opp. hoc vetus cont. mecum ex. protinus obd.* Acidal.: *meum.* — 16. *Inde* pronuntiandum est *Ind'* per apocopen, quam patiuntur etiam interdum verba Forte, Ille (Rud. 1, 2, 55; 4, 7, 14) Ipse, Nempe (4, 7, 90, Rud. 2, 3, 13; 2, 7, 11), Quippe, Redde, Unde, de quibus nos ad Asinar. 770. 1. ed. Nam Bentleji ratio, priores horum vocabulorum syllabas corripientis (Sched. de metris Terent. c. 8.), durissima est. — 19. *Me* [illegible] legendum est, i liquescente. — V.: *Magna me facinora*, quod, subiectum 3., officit versui. *Me* cum emphasi pronuntiandum est. — 22. V. praeter necessitatem sententiae et duris numeris: *quid hic velit.* — 23. V.: *Et huic quam* etc. recte Mediol. Longol.: *Et hic* etc. — Act. II, 2, 6. V.: *St, tace, tace.*

Huc praevortar principio; illa missa habeo, quae ante agere
occepi. t. t.
Iam pol nuntium ego hunc stratioticum advenientem probe
percutiam!
Ha. Ostium pultabo atque intus evocabo aliquem foras. t. t. c.
Ps. Quisquis es, conpendium ego te facere pultandi velo:
Nam ego precator et patronus foribus processi foras.
Ha. Tune es Ballio? Ps. Imo vero ego eius sum Subballio.
Ha. Quid istuc verbi est? Ps. Condus, promus sum, pro-
curator peni. i. t.
Ha. Quasi te dicas atriensem. Ps. Imo atriensi ego impero.
Ha. Quid tu? servosne es, an liber? Ps. Nunc quidem
etiam servio.
Ha. Ita videre, et non videre dignus, qui liber sies.
Ps. Non soles respicere te, quom dicas iniuste alteri?
Ha. Hunc hominem malum esse oportet. Ps. Di me servant
atque amant:
Nam haec mihi incus est: procudam ego hoc die hinc mul-
tos dolos.
Ha. Quid illic secum solus loquitur? Ps. Quid ais tu, adu-
lescens? Ha. Quid est?
Ps. Esne tu, an non es? ab illo milite es Macedonio,
Servos eius, qui hinc a nobis est mercatus mulierem,
Qui hero meo lenoni argenti quindecim dederat minas,
Quinque debet? Ha. Sum. Sed ubi tu me novisti gentium,
Aut vidisti, aut conlocutus? nam equidem Athenas antidhac
Nunquam adveni, neque te vidi ante hunc diem unquam
oculis meis.
Ps. Quia videre inde esse: nam olim, quom abiit, argento
haec dies
Praestituta est, quoad referret nobis, neque dum retulit.
Ha. Imo adest. Ps. Tun' attulisti? Ha. Egomet. Ps. Quid
dubitas dare?
Ha. Tibi ego dem? Ps. Mihi hercle vero, qui res ratio-
nesque heri

---

8. V.: *Hoc pr. princ.: illa omnia missa* etc. Scripserunt nonnunquam *Hoc* pro *Huc*, sed vereor ne vitiose, o et u litteris permixtis, ut 36. et saepe alias; igitur dedi *Huc*, tironum inprimis gratia, ne *Hoc* ad *principio* referrent. Vox *omnia* metro arguitur, nec dubie ex interpretatione marginali irrepsit. v. ann. ad 4, 4, 5. — 19. *Hunc — loquitur?* Haec secum Harpax et Pseudolus, alter alterum observantes. — 20. *hoc die.* V.: *hodie*, quod versui minus aptum. — 29. *referret, retulit* i. e. ferret, afferret, quemadmodum *reddere* interdum est *dare*, velut 47. significatio notanda.

Ballionis curo, argentum accepto et, quoi debet, dato.
Ha. Si quidem hercle etiam supremi promtas thesauros Iovis:
Tibi libellam argenti nunquam credam. Ps. Dum tu strenuus,
Res erat soluta. Ha. Vinctam potius sic servavero.
Ps. Vae tibi! tu inventus vero, meam qui furcilles fidem!
Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier!
Ha. Potest, ut alii ita arbitrentur et ego ut ne credam tibi. i. t.
Ps. Quasi tu dicas, me te velle argento circumducere. t. t. c.
Ha. Imo vero quasi tu dicas, quasique ego autem id suspicer.
Sed quid est tibi nomen? Ps. Servos est huic lenoni Syrus;
Eum esse me dicam. Syrus sum. Ha. Syrus? Ps. Id est nomen mihi. i. t.
Ha. Verba multa facimus. Herus si tuus domi est, quin provocas,
Ut id agam, quod missus huc sum, quidquid est nomen tibi?
Ps. Si intus esset: evocarem; verum si dare vis mihi:
Mage solutum erit, quam si ipsi dederis. Ha. At enim scin', quid est?
Reddere hoc, non perdere, herus me misit. Nunc certo scio,
Hoc febrim tibi esse, quia non licet huc inicere ungulas.
Ego, nisi ipsi Ballioni, numum credam nemini.
Ps. At illic nunc negotiosust: res agitur apud iudicem. i. t.
Ha. Di bene vortant! At ego, quando eum esse censebo domi, t. t. c.
Rediero. Tu epistolam hanc a me accipe atque illi dato:
Nam istic symbolum est inter herum meum et tuom de muliere.
Ps. Scio equidem: ut, qui argentum adferret atque expressam imaginem
Huc suam ad nos, cum eo aiebat velle mitti mulierem:
Nam hic quoque exemplum reliquit eius. Ha. Omnem rem tenes.

---

32. V.: — *accepto, expenso, et cui debet, dato.* sed *expenso*, verbum recentius, nihil aliud nisi interpretatio est illorum *quoi debet, dato;* id quod versus quoque indicat ὑπερμαγρος, nisi scribas *Balli*, cuiusmodi sunt nomina *Tranium* Mostell. 3, 1, 33., *Electrum* Amph. prol. 99., *Dolum* inferius 4, 8, 7., *Alcmaei* (nam sic legendum) Alphesiboea Attii apud Non. v. Dedicare, pro Tranionem, Electryonem, Dolonem, Alcmaeonis. Sed eo nihil opus h. l. propter tautologiam. — 34. *strenuus*, strenuum facis, magnifice te effers. Während du so gross thust, soviel Wesens machst. — 35. *erat.* i. e. esset. Cic. de Off. 1, 9, 4.: *Aequius autem erat, id voluntate fieri.* ubi Heusinger: „Nos diceremus *esset*, veteres vero indicativum malebant" etc. V.: *erit.* „Vel *erat*, inquit Acidal., i. e. esse poterat soluta." — 36. *furcilles.* V.: *forcilles.* cf. 8. — 48. Ita Pal. V.: *intiecre.*

Ps. Quid ego mi teneam? Ha. Dato ergo symbolum illi istum. Ps. Licet.
Sed quid est tibi nomen? Ha. Harpax. Ps. Apage te, Harpax! haud places.
Huc quidem hercle haud ibis intro: ne quid harpax feceris.
Ha. Hostis vivos rapere soleo ex acie: ex hoc nomen mihi est.
Ps. Pol te multo magis opinor vasa ahena ex aedibus.
Ha. Non ita est. Sed scin', quid te orem, Syre? Ps. Sciam, si dixeris.
Ha. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam
Apud anum illam doliarem, cludam, crassam, Chrysidem.
Ps. Quid nunc vis? Ha. Inde ut me arcessas, herus tuus ubi venerit . . . .
Ps. Tuo arbitratu, maxume. Ha. Nam ut lassus veni de via:
Me volo curare. Ps. Sane sapis et consilium placet.
Sed vide, sis, ne in quaestione sis, quando arcessam, mihi.
Ha. Quin, ubi prandero, dabo operam somno. Ps. Sane censeo.
Ha. Numquid vis? Ps. Dormitum ut abeas. Ha. Abeo. Ps. Atque (audin', Harpage?)
Iube, sis, te operiri: beatus eris, si consudaveris.

PSEUDOLUS.

Di immortales, conservavit me illic homo adventu suo! t. t. c. II, 3.
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam!
Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportunius
Advenire, quam haecce adlata est mi opportune epistola:
Nam haec adlata cornu copiae est, ubi inest, quidquid volo:
Hic doli, hic fallaciae omnes, hic sunt sycophantiae,
Hic argentum, hic amanti amica herili filio.
Atque ego nunc (me ut gloriosum faciam, ut copi pectore),
Qui quidque agerem, uti lenoni subriperem mulierculam,
Iam instituta, ornata, cunctad ordine animo, ut volueram, t. t. c.
Certa, deformata habebam; sed profecto hoc sic erit:

---

61. V.: *ahenea.* — 64. *doliarem* legitur auctore Donato ad Terent. Andr. 4, 4, 31. Pal.: *diobolarem*, et similiter alii libri veteres. — 70. *Numquid vis?* Formula abeuntium. Perperam recentiores: *Nunc quid vis?* — *Harpage* idem est τῷ *Harpax*. v. ann. ad 32. — Act. II, 3, 9. *Qui.* Ll.: *Quo modo*, quae et interpretatio κακόμαργος.

Centum doctûm hominum consilia sola haec divincit dea
Fortuna. Atque hoc verum est: proinde ut quisque fortuna utitur,
Ita praecellet atque exinde sapere eum omnes dicimus.
Bene ubi quod consilium accidere discimus: hominem catum
Esse declaramus; stultum autem illum, quoi vortit male.
Stulti haud scimus, frustra ut simus, quom quid cupienter dari
Petimus nobis, quasi, quid in rem sit, possimus noscere.
Certa amittimus, dum incerta petimus; atque hoc evenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.
Sed iam satis est philosophatum; nimis diu et longum loquor.
Di inmortales, aurichalco contra non carum fuit
Meum mendacium, hic modo quod subito commentus fui,
Quia lenonis me esse dixi! Nunc ego hac epistola
Tris deludam, herum et lenonem et, qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge, par pari! Aliud autem, quod cupiebam, contigit:
Venit eccum Calidorus; ducit nescio quem secum simul.

CALIDORUS. CHARINUS. PSEUDOLUS.

Ca. Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia: t. t. c. II, 4.
Scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.
Ch. Commemini omnia. Id tu modo, quid me vis facere, fac sciam.
Ca. Cum haec tibi alia, tum elocutus sum, ut sit res de symbolo.
Ch. Omnia, inquam: tu modo, quid me facere vis, fac ut sciam.
Ca. Pseudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuom,
Benevolentem, adducerem ad se. Ch. Servas imperium probe:
Nam et amicum et benevolentem ducis. Sed istic Pseudolus

15, 16. V., durioribus numeris: — *consil. discimus accidisse, hom. catum Eum esse declar.* Scripsit *accidisse*, qui perfecto opus esse existimaret, cum praesens non minus conveniat sententiae, versui autem multo magis. *Eum* adiectum est ab explicatore. — Act. II, 4, 4. Insulse et depravate ll.: *C. h. t. a. sum eloc., ut scires, si scis de symb.*, nec satis est delere verba *si scis*, quod fecere Longol., Lamb., alii.

Noves mihi est. Ca. Nimium est mortalis graphicus; εὑρετὴς
mihi est.
Is mihi haec esse ecfecturum dixit, quae dixi tibi.
Ps. Magnifice hominem conpellabo. Ca. Quoia vox sonat?
Ps. Io, io,
Te, te, te, tyranne, te rogo, qui imperitas Pseudolo!
Quaero, quoi ter trina triplicia tribus modis tria gaudia,
Artibus tribus ter demeritas dem laetitias, de tribus
Fraude partas per malitiam et per dolum et fallaciam.
In libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
Ca. Illic homo est. Ch. Ut paratragoedat carnufex!
Ca. Confer gradum
Contra pariter. Ps. Porge audaciter ad salutem brachium.
Ca. Dic, utrumne, Spemne an Matrem, te salutem, Pseudole?
Ps. Imo utrumque. Ca. Utrumque salve. Ps. Sed quid
actum est? Ca. Quid times?
Attuli hunc. Ps. Quid? attulisti? Ca. Adduxi volui dicere.
Ps. Quis istic est? Ca. Charinus. Ps. Euge, iam χάριν
οἰωνὸν ποιῶ! i. t.
Ch. Quin tu, quidquid opust, mi audacter imperas? Ps. Tam
gratia est. . . t. t. c.
Ca. Bene siet Charino. Ps. Nolo, tibi molestos esse nos.

---

9. εὑρετὴς, *inventor* (consiliorum). V.: *heuretes*, cum vox sit graeca, graecisque scateat Pl., hac praesertim comoedia. — 18. *Porge*. V.: *Porrige*, versu impedito. Vetus cod. Cam.: *por cl.* (*porce*, pro *porge*) *audaciter*. — 19, 20. V., male divisis personis: Ch. *Dic* — Ch. *Utrumque salve. sed q. a. est?* Ps. *Q. times?* Recte pro Charini persona Calidori adscriptam habent vetustiores edd., in quibus Lambini, et apud ipsum Gronov. verba *utrumque — est?* Calidoro tributa sunt, habendumque istud Ch. pro sphalmate operarum Lipsiensium. Quaerit autem Ps., quid actum sit de adducendo homine strenuo et amico; et quaerit quidem voltu sollicito, si forte talem non repererit Cal. Igitur adolescens eum nihil timere jubet: adduxisse enim se Charinum. Ceterum *Mater* intelligenda est Mater Matuta, cuius templo vicinum erat Spei Romae. Liv. 25, 7., annotante Gron.: *Reficiendis aedibus Fortunae ac Matris Matutae intra portam Carmentalem, sed et Spei extra portam* etc. inde iocus Calidori. — 22. χάριν, *gratiam, voluptatem*. V.: χαρῖνον. — 23, 24. V.: Ps. *Tam gratia est. Bene sit, Charine.* Videntur hoc accepisse pro formula *Bene est*, de qua superius ad 1, 5, 106.; sed nunquam id dicitur *Bene sit*. Imo fausta precatur Calidorus amico officioso, et non sine emphasi dicit *Charino* pro *tibi*. Calidori enim personam immittendam putavi, cum quia consentaneum est, illum bene velle amico sincero, quem se praebet Charinus, idque verbis nunc significare, tum quia uno tenore dicta sunt illa *Tam gratia est* et haec *Nolo, tibi molestos esse nos*, quippe cum re-

Ch. Vos molestos mihi? Molestum est id quidem. Ps. Tum igitur mane.
Ca. Quid istuc est? Ps. Epistolam hanc modo intercepi et symbolum. i. t.
Ca. Symbolum? quem symbolum? Ps. Qui a milite adlatust modo. t. t. c.
Eius servo, qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arcessebat, eii os sublevi modo.
Ca. Quomodo? Ps. Horum causa haec agitur spectatorum fabula:
Hi sciunt, qui hic adfuerunt; vobis post narravero.
Ca. Quid nunc agimus? Ps. Liberam hodie tuam amicam amplexabere.
Ca. Egone? Ps. Tute. Ca. Ego? Ps. Ipsus, inquam, si quidem hoc vivet caput; i. t.
Si modo mihi hominem invenietis propere .... Ch. Qua facie? Ps. Malum, t. t. c.
Callidum, doctum, qui, quando principium prehenderit,
Porro sua virtute teneat, quid se facere oporteat;
Atque eum, qui hic non visitatus saepe sit. Ch. Si servos est,
Numquid refert? Ps. Imo multo mavolo quam liberum.
Ch. Posse opinor me dare hominem tibi malum et doctum, modo
Qui a patre advenit Carysto nec dum ex aedibus exiit
Quoquam neque Athenas advenit unquam ante hesternum diem.
Ps. Bene juvas. Sed quinque inventis opus est argenti minis

---

euset civiliter Pseudolus Charini officia, ne illi molestus ipse sit et Calidorus. Ceterum recte Pareus: *Tam gratia est.* Vetus liber Camerar.: *tam gratiam.* alii: *iam gratiam*, in quibus Cam. et Lamb. intelligunt *habeo*, sive *habemus*, ellipsi parum usitata. In Decurtato et edd. vett., velut Mediol. anni 1500. et Longolii, haec desiderantur. *Tam* (i. e. Tamen apud veteres: v. Festus p. 155 Lindem.). *gratia est* respondebant, qui blande abnuerent, cf. Menaechm. 2, 3, 36.

25. *Mol. est id quidem.* Ps. *Tum igitur mane.* Ita Longol. V.: *Mol. est quidem.* Ps. *Tum tu ig. m.* Decurt. quoque: *Tum ig. m.*, omisso *tu*, quod versum onerat, natumque est, opinor, ex *tum* (tū) vicino. — 26, 27. Perperam hic quoque Charini personam ostendunt codd., castigante Acidalio. Scilicet A et H litterae persimiles sunt in vetustis libris. — 37. Ita ed. Paris. a. 1530. V.: *usitatus*, quod dudum est cum emendarunt docti. — 40. *Carystus*, oppidum Euboeae insulae maritimum, in parte australi, exadversum Athenas situm, quod clarum fuit marmore, asbeato, pascuis, obsonio (ὄψον χωρίον, Athen. 7, 304, d.).

Mutuis, quas hodie reddam: nam huius mihi debet pater.
Ch. Ego dabo: ne quaere aliunde. Ps. O hominem opportunum mihi!
Etiam opust chlamyde, et machaera, et petaso. Ch. Possum a me dare.
Ps. Di inmortales, non Charinus mi hic quidem est, sed Copia!
Sed istic servos, ex Carysto qui huc advenit, quid sapit? i. t.
Ch. Hircum ab alis. Ps. Manuleatam tunicam habere hominem decet. t. t. c.
Ecquid habet homo iste aceti in pectore? Ch. Atque acidissumi.
Ps. Quid, si opus sit, dulce ut promat indidem? ecquid habet? Ch. Rogas?
Murhinam, passum, defrutum, melliniam, mel quoiasmodi;
Quin in corde instruere quondam coepit thermopolium.
Ps. Eugepae! lepide, Charine, meo me ludo lamberas.
Sed quod nomen esse dicam ego isti servo? Ch. Simmiae.
Ps. Scitne in re advorsa vorsari? Ch. Turbo non aeque citust.
Ps. Ecquid argutust? Ch. Malorum facinorum saepissume.
Ps. Quid, quom manufesto tenetur? Ch. Anguilla est: elabitur.
Ps. Ecquid is homo scitust? Ch. Plebiscitum non est scitius.
Ps. Probus homo est, ut praedicare te audio. Ch. Imo, si scias.
Ubi te adspexerit: narrabit ultro, quid sese velis.
Sed quid es acturus? Ps. Dicam. Ubi hominem exornavero:
Subditicium fieri ego illum militis servom volo;

---

43. Inepte ll.: *nam unam huius.* vid. Guil. Quaest. in Pseud. cap. 4. *unam* natum ex verbis, quae antecedunt; quod facilius fuit in scriptura, olim usitata, continua. — 49. V., hiante versu: *is homo.* — 51. V: *Murrhinam.* dedi *Murhinam*, quo prima vocabuli corriperetur. i. e. murhinam potionem, *οἶνον μυρίνην*, a *μύρον*, vinum unguento temperatum, more veterum. *passum.* vinum ex uvis passis et sole siccatis confectum (Rosinenwein). *defrutum.* vinum musto decocto factum. a *defervendo.* v. Colum. 12, 20, 21, 39., Plin. H. N. 14, 9., Virg. Georg. 2, 93. *melliniam.* (potionem, Honigtrank). cf. Truc. 4, 1, 6. *mel qu.* scilicet *est.* ellipsis usitata priscis. — 52. *thermopolium.* tabernam, ubi dulces potiones venibant, quas calidas bibebant. *Turnebus.* — 53. *Lamberare*, inquit Festus (p. 88 Lindem.), *est scindere*, *laniare.* Verberari igitur se suo ludo Servus dicit: eisdem enim iocis appetitur, quibus lacessiverat. *Idem.* Persius 4, 42.: *Caedimus inque vicem praebemus crura sagittis.* Nostrates proverbialiter: Du bezahlst mich mit gleicher Münze. — 54. *quod* Longolius; perperam alii: *quid*, vel *qui.*

Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis;
Mulierem ab lenone abducat. Hem tibi omnem fabulam!
Ceterum, quo quidque pacto faciat, ipsi dixero.
CA. Quid nunc igitur stamus? Ps. Hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum adducite ad me iam ad trapezitam Aeschinum.
Sed properate. CH. Prius illi erimus quam tu. Ps. Abite ergo ocius. —
Quidquid incerti mi in animo prius aut ambiguom fuit,
Nunc liquet, nunc defecatum est; cor mihi nunc perviam est.
Omnes ordines sub signis ducam legionis meae
Avi sinistra, auspicio liquide liquido atque ex sententia. i. t.
Confidentia est, inimicos me meos posse perdere. t. t. c.
Nunc ibo ad forum atque onerabo meis praeceptis Simmiam,
Quid agat: ne quid titubet, docte ut hanc serat fallaciam.
Iam ego hoc ipsum oppidum expugnatum faxo erit lenonium. i. t.

PUER.

Quoi servitutem di danunt lenoniam i. s. III, 1.
Puero atque eidem si addunt turpitudinem:
Nae illi, quantum ego nunc corde consipio meo,
Malam rem magnam multasque aerumnas danunt!
Velut haec mi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnisque miseriis praefulcior;
Neque ego amatorem mi invenire ullum queo,
Qui amet me et curet tandem nitidiuscule.

---

68. Ll.: *illic.* — 70. *perviam est* dictum pro *pervium est*, sicut dicitur *obviam esse* pro *obvium*. Comparant Aul. 3, 2, 24. Sic autem vett. libri, sive *peruiast*, quod eodem redit; vulgo tamen: *pervium 'st*. — 71. Lanoii emendatio. V.: *legiones meas*. — 72. *Avi sinistra*. i. e. felici auspicio. Graecorum more loquitur, apud quos augures meridiem versus spectantes, itaque orientem, quae plaga felix putabatur, ad sinistram habentes, servabant de coelo. Contra Latini, quibus dextra sunt auspicata, septentrionem spectantibus. *Liquide liquido*, i. e. liquidissimo, poëta dixit, ut *misere miser*, *madide madere* (5, 2, 13), *nitide nitere*, *propere properare*, *amoenitatem amoenam*, *falsam fallaciam* et alia huiusmodi. v. Cist. 4, 2, 21, Curc. 5, 3, 3, Rud. 4, 3, 38, Truc. 2, 4, 3, Capt. 4, 1, 7, Asin. 2, 1, 18. Facile *liquide*, verbo simili sequente, neglectum fuerit. Trochaïcum tetr. effingas scribendo *Ave;* sed nihil opus. — 75 *serat* pro *ferat* (sic enim. codd.) Sciopp. Susp. Lectt. 1, 13., quemadmodum dicitur *sator scelerum* Capt. 3, 5, 3. — Act. III, 1, 1. *Danunt*, dant. Nonius v. danunt. — 8. *et*. V.: *ut*, menda satis frequente. Alii: *ut curer*.

Nunc huic lenoni est hodie natalis dies:
Interminatus est a minumo ad maxumum,
Si quis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maxumo perbitere.
Nunc nescio hercle, rebus quid faciam meis,
Neque ego illud possum, quod illi, qui possunt, solent.
Nunc nisi lenoni munus hodie misero:
Cras mihi potandus fluctus est fullonius.
Eheu, quam illae rei ego etiam nunc sum parvolus!
Atque edepol, ut male nunc eum metuo miser,
Si quispiam det, qui manus gravior siet:
Quanquam illud aiunt magno gemitu fieri,
Conprimere dentis videor posse aliquo modo.
Sed conprimenda est vox mihi atque oratio:
Herus, eccum, recipit se domum et ducit cocum.

BALLIO. COCUS. PUER.

Ba. Forum coquinum qui vocant, stulte vocant: i. s. III, 2.
Nam non coquinum est, verum furinum est forum:
Nam si ego iuratus peiorem hominem quaererem
Cocum, non potui, quam hunc, quem duco, ducere,
Multiloquom, gloriosum, insulsum, inutilem.
Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit,
Uti sit hic, qui mortuis coenam coquat:
Nam hic solus illis coquere quod placeat potest.
Co. Si me arbitrabare isto pacto, ut praedicas:
Cur conducebas? Ba. Inopia: alius non erat.

12. *perbitere*, perire, periturum esse, verbum Plauti et antiquorum. — 16. *fluctus*. V.: *fruetus;* sed fructus non potantur. *fluctum fullonium* μεταφορικῶς puer dicit probrum quaestus impudici. — 19. *Si — siet*. i. e. argentum, et quidem maior summa, quae accepta manum gravet. — 21, 22. *Comprimere*, *comprimenda*. Specta infantiam rudis pueri χαρακτηριστικήν! cf. Donat. ad Terent. Eun. 3, 1, 22. — Act. III, 2, 1, 2. Traducuntur Coci in comoediis, tanquam furaces, garruli et gloriosi. cf. Aul. Cas., Curc., Mercat., Athen. l. 7., 9., 14. Sedebant Romae in foro coquino, expectantes, si quis eos conduceret. — Dixit fortasse Pl., agnominatione haud illepida: *verum forinum est forum*, sicut *exercitus forum* pro *furum* (φώρων) Asin. 3, 2, 8.— 3. *Nam* iners est h. l., magisque displicet propterea, quod antecedente versu legitur. Quare malim *Nunc*, quod aptum sententiae. Similia haec in libris. — 6. *Orcus*, Pluto. — 7. Mortuis nono die post mortem coquere solebant coenam feralem, haud magnae rei, silicernium proprio nomine vocatam. Hinc Aul. 2, 4, 45.: *Cocus ille est nundinalis: in nonum diem Salet ire coctum.*

Sed cur sedebas in foro, si eras cocus,
Tu solus praeter alios? Co. Ego dicam tibi.
Hominum avaritia ego factus sum inprobior cocus,
Non meopte ingenio. Ba. Qua istuc ratione? Co. Eloquar.
Quia enim, quom extemplo veniunt conductum cocum,
Nemo illum quaerit, qui optumus et carissumust;
Illum conducunt potius, qui vilissumust.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Illi drachma issent miseri; me nemo potest
Minoris quisquam numo ut surgam subigere.
Non ego item coenam condio, ut alii coci,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boves convivas faciunt, herbasque oggerunt,
Eas herbas herbis aliis porro condiunt:
Indunt coriandrum, fenicalum, allium, atrum olus,
Adponunt rumicem, brassicam, betam, blitum,
Eo laserpiti libram pondo diluont;
Teritur sinapi sceleratum; illis, qui terunt,
Priusquam teruerunt, oculi ut exstillent, facit.
Ei homines coenas sibi coquint! Quom condiunt:
Non condimentis condiunt, sed strigibus,
Vivis convivis intestina quae exedint.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Quom hasce herbas huiusmodi in suom alvom congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo,
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.
Ba. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? Co. Audacter dicito:
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui esitabunt escas, quas condivero.

---

13. *factus* cogitatione, fictus, habitus, existimatus. Terent. Ad. 4, 1, 19.: *Facio te apud illum deum.* — 23. Ll., ab interpretatione κακομίτρων: *Boves qui conv.* — 26. *blitum* genus oleris insipidi. v. Fest. p. 28 Lindem., Non. h. v. Hinc *blitea*, i. e. stupida, stulta, Truc. 4, 4, 1. — 27. *laserpiti.* cf. Rud. 3, 2, 16. — 28. Mss.: *sinapis celera cum.* edd. male: *sinapis sceleratа cum.* — 29. *teruerunt* Prisc. ἀρχαϊκῶς. V.: *triverunt.* — 30. Tales coqui coenas sibi coquant, non aliis, aut mihi. *Lamb. coquint, exedint*, prisce pro *coquant, exedant.* — 31. *strigibus.* Plin. H. N. 11, 39, 95.: *Esse in maledictis iam antiquis strigem, convenit; sed, quae sit avium, constare non arbitror.* Ovidius tamen, ita describens has aves Fast. 6, 133.: *Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinae; Canities pennis, unguibus hamus inest. Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes* etc., haud dubie ululas et id genus intellexit, quod gravi odore est, nec edule.

Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi
Aut sipolindrum aut macidem aut sancaptidem:
Ipsae se patinae fervefaciunt eloco.
Haec ad Neptuni pecudes condimenta sunt.
Terrestres pecudes cicimandro condio aut
Hapalopside aut cataractria. Ba. At te Iupiter
Dique omnes perdant cum condimentis tuis
Cumque tuis istis omnibus mendaciis!
Co. Sine, sis, loqui me. Ba. Loquere atque i in malam crucem!
Co. Ubi omnes patinae fervent: omnis aperio;
Ibi odos demissis pedibus in coelum volat.
Ba. Oder demissis pedibus? Co. Peccavi insciens.
Ba. Quid est? Co. Demissis manibus volui dicere.
Eum odorem coenat Iupiter quotidie.
Ba. Si nusquam is coctum, quidnam coenat Iupiter?
Co. It incoenatus cubitum. Ba. In' in malam crucem?
Istacciue hodie causa tibi numum dabo?
Co. Fateor equidem esse me cocum carissumum;
Verum pro pretio facio ut opera adpareat
Mea, quo conductus veni. Ba. Ad furandum quidem.
Co. An tu invenire postulas quenquam cocum,
Nisi milüinis aut aquilinis unguliś?
Ba. An tu coquinatum te ire quoquam postulas,
Quin ibi constrictis unguliś coenam coquas?
Nunc adeo tu, qui meus es, iam edico tibi,
Ut nostra properes omnia amolirier;
Tum ut huius oculos in oculis habeas tuis.
Quoquo hic spectabit: eo tu spectato simul;
Si hic quo gradietur: pariter progredimino.
Manum protollet? pariter proferto manum.
Suom quid sumet? id tu sinito sumere;
Si nostrum sumet: tu teneto altrinsecus;
Si iste ibit: ito; stabit: adstato simul;

42, 43. *cicilendrum*, *sipolindrum*, *sancaptis*. Nomina ficta herbarum, sicut etiam *cicimandrum*, *hapalopsis et cataractria* in iis, quae sequuntur. Gronov.: „*Macis* cortex aromaticus, nucis myristicae (Muskatnuss) amiculum.“ — 44. Ll. ἀμέτρως: *Eae ipsae sese*. — 49. *istis* probabiliter additum legitur in edd. Iunt., Ald., Lambini et Parei: desideratur enim eiusmodi vox, ut versus stet recto talo. — 52. *Ibi* Acidal. V.: *Is*. — 54. Mss. *Quia demissis*, quo admisso verba *Quid est* in unam syllabam contrahenda sunt, quod durum. Peius etiam editi: *Quia enim dem*. Natum videtur *Quia* ex *Quid* vicino. — 67. V.: *amoliri omnia*. — 70. Veterum ll. scriptura. V.: *progrediminor*. — 71, 72. V.: *Manum si prot., Suum si quid sumet*.

Si conquiniscet iste: cevete simul.
Item his discipulis privos custodes dabo.
Co. Habe modo bonum animum. Ba. Quaeso, qui possim, doce
Bonum animum habere, te qui ad me adducam domum?
Co. Quia sorbitione faciam ego hodie te mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem,
Quem medicamento et suis venenis dicitur
Ex sene fecisse rursus adulescentulum:
Item ego te faciam. Ba. Eho, an etiam veneficus?
Co. Imo vero edepol hominum servator magis.
Ba. Hem, mane! quanti unum me coquinare perdoces?
Co. Quid? Ba. Ut te servem, ne quid subripias mihi.
Co. Si credis; numo; si non: ne mina quidem.
Sed utrum amicis hodie an inimicis tuis
Daturus coenam? Ba. Pol ego amicis scilicet.
Co. Quin tu illo inimicos potius quam amicos vocas?
Nam ego ita convivis coenam conditam dabo
Hodie atque ita suavi suavitate condiam:
Ut quisque, quidque conditum gustaverit,
Ipsus sibi faciam ut digitos praerodat suos.
Ba. Quaeso hercle, priusquam quidquam convivis dabis,
Gustato tute prius et discipulis dato:
Ut praerodatis vostras furtificas manus.
Co. Fortasse haec tu nunc mihi non credas, quae loquor.
Ba. Molestus ne sis. Nimium tinnis: non places.
Hem, illic ego habitod: intro abi et coenam coque
Propere. Pu. Quin is adcubitum? et convivas cedo:
Conrumpitur iam coena. Ba. Hem, subolem, sis, vide!
Iam hic quoque scelestus est coqui sublingio.
Profecto, quid nunc primum caveam, nescio:
Ita in aedibus sunt fures, praedo in proxumo est:
Nam a me hic vicinus apud forum paulo prius;
Pater Calidorid, opere ecfecit maxumo,
Ut mihi caverem a Pseudolo servo suo,
Neu fidem ei haberem: nam circumire in hunc diem,
Ut me, si posset, muliere intervorteret.
Eum promisisse firmiter dixit sibi,

---

85. V.: *istuc unum.* — 90. *illo* Acidal. Ll. inepte: *illos.* — 92. *suavi* inculcavit Taubmannus. — 94. *Ipsus* Douza Centur. p. 410. codd. emphasi inutili: *Ipsos.* — 99. V.: *nim. iam t.* — 100. Ita vett. V.: *intro huc abi.* — 106. *Nam Acid.* V.: *Iam.* — 107. V.: *op. petivit max.* Ll. vett.: *opere fecit m.* Cic. ad Att. 10, 10: *quod a Curione effeceram.* — 109. V.: *nam eum circ.* —

Sese abducturum a me dolis Phoenicium,
Nunc ibo intro atque edicam familiaribus,
Profecto ne quis quidquam credat Pseudolo.

PSEUDOLUS. SIMMIA.

Ps. Si unquam quenquam di inmortales voluere esse auxilio adiutum: t. t. IV, 1.
Med et Calidorum volunt servatum esse et lenonem extinctum,
Quom te adiutorem genuerunt mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi illic est? Sumne ego homo insipiens, qui haec loquar mecum egomet solus? i. t. h.
Dedit verba mihid hercle, ut opinor. Malus cum malo stulte cavi. b. s.
Tum pol ego interii, si homo abiit, neque opus hoc, quod volui, hodie ecficiam. as., t. d. et i. d. h.
Sed eccum verbeream video statuam. Ut magnifice infert sese! i. t. c.
Hem, te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam male, ne abisses. t. t.
S. Fuit meum officium, ut facerem, fateor. Ps. Ubi restiteras? S. Ubi mihi lubitum est. i. t. h.
Ps. Istuc ego iam satis scio. S. Cur ergo, quod scis, me rogas? t. t. c.
Ps. At hoc volo monere te. S. Monendus ne me moneat. i. t. c.
Ps. Nimis tandem egod abs te contemnor. S. Quippe ego te ni contemnam, as., t. d. i. d. c.
Stratioticus qui cluear homo? Ps. Iam hoc volo, quod occeptum est, agi. i. t.
S. Numquid agere aliud me vides? i. d.
Ps. Ambula ergo cito. S. Imo otiose volo. c. t.
Ps. Haec ea occasio est: dum ille dormit, volo
Tu prior ut occupes. c. d.

Act. IV, 1. V.: Tum (pertinuit hoc ex vicino vocabulo *adiutum*) *me et Cal.* — 4. *loquar.* ita MSS. minus recte editi: *loquor.* — 6. V.: *homo si ille abiit, neque hoc op., qu. vol., ego hod. efficiam.* — 7. *Sed* vocali elisa pronuntiandum est metri gratia. — 17. V.: *Tu p. ut occ. adire.* Interpretatio, quam nec sententia requirit, et metrum arguit. *occupes*, scil. occasionem. Creticis longioribus subiecta est clausula brevior ex more.

S. Quid properas? Placide! Ne time! Ita ille faxit Iupiter, i. t.
Ut ille palam ibidem adsit, quisquis est, qui adest a milite!
Nunquam edepol potior ille erit Harpax, quam ego. Habe animum bonum:
Pulcre ego hanc explicatam tibi rem dabo. c. t.
Sic ego illunc dolis atque mendaciis
In timorem dabo militarem advenam:
Ipse sese ut neget esse eum, qui siet,
Meque ut esse autumet, qui ipsus est. Ps. Qui potest?
Si. Occidis me, quem istuc rogas! Ps. Hominem lepidum b. t.
Te quoque etiam dolis atque mendaciis! c. t.
Iupiter te mihi servet! S. Imo mihi!
Sed vide: ornatus hic me satis condecet?
Ps. Optume habet. S. Esto. Ps. Tantum tibi di boni
inmortales duint, quantum tu optes tibi!
Nam si exoptem, quantum dignus, tantum duint, minus *nihilo* est, asyn., t. d. et i. d. c.
Neque ego hoc homine quenquam vidi magis malum et maleficum.
S. Tun' id mihi? Ps. Taceo. Sed ego quae tibi bona dabo et faciam, si hanc rem t. t.
Sobrie adcurassis! S. Potin', ut taceas? Memorem facit inmemorem,
Qui monet, memor quod meminit. Omnia teneo, in pectore t. t. c.
Condita; meditati docte sunt dolì. Ps. Probus hic homo est.
S. Neque hic est, neque egod. Ps. At vide ne titubes.
S. Potin', ut taceas? i. t. c.
Ps. Ita me di ament .... Si. Ita non facient. Mera iam mendacia fundes. as., t. d. et i. d. c.
Ps. Ut ego ob tuam te, Simmia, perfidiam amo et metuo et magnifico! i. t.
S. Aliis dare ego istuc condidici; mi obtrudere non poti' palpum. as., t. d. et i. d. c.

---

18. Cave elidas verbum *time*. — 19. V.: *quisquis ille est*. — 26. V.: — *rogitas*. Ps. *o hom. lep.* — 27. V.: *atque etiam mend.* — 31. *duint*. Ll.: *dent*. — 32. *hoc homine* dixit διαπτικῶς pro *te*. cf. 36, 37; 5, 2, 32, Amph. 1, 1, 251, Most. 3, 1, 54. — 33. *bona* Douza Centur. p. 417, 13. V.: *dona*; sed *dona facere* soloecum est. — 35, 36. Ll. minus eleganter, seu verba, seu numeros spectes: *teneo omnia. in pect. condita sunt*. — 40. *poti'*. potis es. ll. dure: *potes* (p'tes).

Ps. Ut ego te hodie accipiam lepide, ubi ecfexis hoc opus ....
S. Hahahe!
Ps. Lepido victu, vino, unguentis et inter pocula pulpamentis! as., t. d. et i. d. h.
Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quae det.
S. Lepide accipi' me. Ps. Imo si ecfici', tum faxo mage dicas. i. tr. h.
S. Ni ecfecero: me carnufex accipito cruciabiliter! i. t. c.
Sed propera mihi monstrare, ubi sit ostium lenonis.
Ps. Tertium hoc est. S. St, tace: aedes hiscunt. Ps. Credo animo male est t. t. c.
Aedibus. S. Quid iam? Ps. Quia edepol ipsum lenonem evomunt.
S. Illiccine est? Ps. Illic. S. Mala merx est, Pseudole: illuc, sis, vide: i. t.
Non prorsus, verum ex transvorso cedit, quasi cancer solet.

BALLIO. PSEUDOLUS. SIMMIA.

Ba. Minus malum hunc hominem esse opinor, quam esse censebam, cocum: t. t. c. IV, 2.
Nam nihil etiamdum harpagavit praeter cyathum et cantharum.
Ps. Heus tu, nunc occasio est et tempus! S. Tecum sentio.
Ps. Ingredere in viam dolose; ego hic in insidiis ero.
S. Habui numerum sedulo: hoc est sextum a porta proxumum
Angiportum: in id angiportum me devorti iusserat.
Quotumas aedis dixerit, id ego admodum incerto scio.
Ba. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est, aut quem quaeritat?
Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis.
S. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quaero, certius. i. t.

---

41. *ecfexis.* forma verbi Plautina. Ll.: *effeceris*, quae est interpretatio minus ἔμμετρος. — 46. V.: *ubi ostium* (Ernest. sphalmate operarum: *hostium*) *lenonis aedium.* Decurt.: *ubi sit ostenonis aed.* — 49. *Illic.* V.: *Illic est.* S. *Mala m. est.* Ps. *Illuc* etc.; sed continent verba *illuc — solet* causam, cur leno mala merx esse videatur Simmiae: quare haec omnia sub persona eius legenda sunt. Eodem modo errarunt, ni fallor, superius 1, 3, 13. — 50. Non liquescit *verum.* Domo egrediens leno videtur respexisse, itaque non recta, sed transverso gressu prodiisse.

Ba. Ad me adit recta: unde ego hominem hunc esse dicam gentium? t. t. c.
S. Heus tu, qui cum hircina barba adstas, responde, quod rogo.
Ba. Eho, an non prius salutas? S. Nulla est mihi salus dataria. i. t.
Ba. Nam pol hinc tantundem accipies. Ps. Iam inde a principio probi! t. t. c.
S. Eoquem in angiportu hoc hominem tu novisti, te rogo.
Ba. Egomet me. S. Pauci istuc faciunt homines, quod tu praedicas:
Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit.
Ps. Salvos sum: non philosophatur. S. Hominem ego hic quaero malum,
Legiropam, ispium, periurum atque inprobum. Ba. Me quaeritat:
Nam mi illaec sunt cognomenta. Nomen si memoret modo. —
Quod ei est homini nomen? S. Leno Ballio. Ba. Scivin' ego?
Ipse ego is sum, adulescens, quem tu quaeritas. S. Tun' Ballio es?
Ba. Ego enimvero is sum. S. Ut vestitus, es perfossor parietum.
Ba. Credo, in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.
S. Herus meus tibi me salutem multam voluit dicere.
Hanc epistolam accipe a me: hanc me tibi iussit dare.
Ba. Quis is homo est, qui iussit? Ps. Perii, nunc homo in medio luto est!
Nomen nescit: haeret haec res. Ba. Quem hanc misisse ad me autumas?
S. Nosce imaginem; tute eius nomen memorato mihi:
Ut sciam, te Ballionem esse ipsum. Ba. Cedo mi epistolam. as., t. d. et i. d.
S. Accipe et cognosce signum. Ba. Oh, Polymachaeroplacides t. t. c.

Act. IV, 2, 12. *hircina barba.* rara et non admodum densa, qualis hircorum. *Lamb.* — 14. *probi*, probi sunt, probe se gerunt Simmia et leno, sie fangen gut an. Sic MSS. priscae edd.: *probus*, nec aliter Lamb. V.: *probe.* — 21. *Quod.* Ll. soloece: *Quid.* — 23. *Ut — par.* Usitato convicio lenonem vocat perfossorem parietum, eumque se cognoscere dicit e vestitu. Inducebant autem in scenam lenones versicolore habitu, raso capite et calvos, ut Turnebus annotavit. Ceterum ll.: *vest. est p. p.* — 31. *Oh.* V.: *Oho*, quod nescio an sit inusitatum. Videtur sphalma librarii, primum scribentis o, dein subiicientis, quod legerit in vetusto exemplari, *ho* (i. e. oh), altero illo non expuncto.

Purus putust ipsus! novi. Heus, Polymachaeroplacides
Nomen est. S. Scio iam, tibi recte me dedisse epistolam,
Postquam Polymachaeroplacidae elocutus nomen es.
Ba. Sed quid agit? S. Quod homo edepol fortis atque bellator probus.
Sed propera hanc perlegere, quaeso, epistolam (ita negotium est),
Atque accipere argentum actutum, mulieremque emittere:
Nam necesse hodie Sicyoni est me esse, aut cras mortem exsequi:
Ita herus meus est imperiosus. Ba. Novi; notis praedicas.
S. Propera perlegere ergo epistolam. Ba. Id ago, si taceas modo.
„Miles lenoni Ballioni epistolam i. e.
Conscriptam mittit Polymachaeroplacides,
Imagine obsignatam, quae inter nos duo
Convenit olim.“ S. Symbolum est in epistola.
Ba. Video et cognosco signum. Sed in epistola
Nullam salutem mittere inscriptam solet?
S. Ita militaris disciplina est, Ballio:
Manu salutem mittunt benevolentibus;
Eadem malam rem mittunt malevolentibus.
Sed ut occepisti, perge operam experirier,
Quid epistola ista narret. Ba. Ausculta modo.
„Harpax calator meus est, ad te qui venit . . . .“
Tune es is Harpax? S. Ego sum. Ba. „Atque iste Harpax quidem,
Qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi
Et cum eo simitu mulierem mitti volo.
Salutem scriptam dignum est dignis mittere;
Te si arbitrarem dignum: misissem tibi.“
S. Quid nunc? Ba. Argentum des, abducas mulierem.
S. Uter remoratur? Ba. Quin sequere ergo intro. S. Sequor.

PSEUDOLUS.

Peiorem ego hominem magisque vorsute malum i. e. IV, 3.
Nunquam edepol quenquam vidi quam hic est Simmia;

35. V.: *S. q. agit is?* — 37. V.: *mihi emittere.* — 38. V. *est* desideratur; sed Decurt. et edd. vett.: *necesse est, necessest.* — 52. *calator.* v. ann. ad Rud. 2, 3, 5. — 53. *iste.* V.: *ipse.* — Act. IV, 3, 6. V.: *Si occ. c., qui siet malus.* Sed malus, i. e. dolosus, iam erga lenonem fuit Simmia. Nunc Pseud. metuit, ne ille dolosus dolosum se pariter decipiat. Sic 4, 1, 5.: *Malus cum malo stulte cavi.* Praeterea debiles numeri produnt meadam, et

Nimisque illum ego hominem metuo et formido male,
Ne malus item erga me sit, ut ergo illunc fuit:
Ne in re secunda nunc mi obvortat cornua,
Si occasionem capsit, qui sit malus malo.
Atque edepol equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maxumo triplici modo:
Primum omnium iam hunc conparem metuo meum,
Ne deserat med atque ad hostis transeat;
Metuo autem, ne herus redeat etiamdum a foro:
Ne capta praeda capti praedones fuant!
Quom haec metuo: metuo, ne ille huc Harpax advenat,
Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii hercle, nimium tarde egrediuntur foras!
Cor conligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor sum: vici cautos custodes meos!

SIMMIA. PHOENICIUM. PSEUDOLUS.

S. Ne plora: nescis, ut sit res, Phoenicium; i. s. IV, 4.
Verum haud multo post faxo scibis adcubans.
*Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedoniensem, qui te nunc flentem facit;
Quoiam esse te vis maxume, ad eum duco te.

---

sit, non *siet*, legitur in Decurtato; nec fere usurpatur illa forma nisi extremis versibus, ab imparibus autem iambicorum, paribus trochaicorum, locis, ubi regnant spondei et pedes τετράσημοι, abhorret.

13. Sic vetus cod. Camerarii MS. V. *adveniat.* — 16. *conl. vasis.* Sumtum a re militari, ubi milites colligunt vasa, aut ornantes fugam, aut aliorsum castra movere cogitantes. *Lamb.* — Act. IV, 4, 3. *Dentatum* cur dicat militem, causa non apparet. Dentati sunt omnes homines iuventa, nec placent senes edentuli. Ineptum igitur est hoc epitheton, suspicorque, Plautum dixisse *peltatum*, qui D et P litteras permutatas nonnunquam esse sciam in codicibus. Ita extiterit primum *deltatum*, dein, accedente correctore, qui non ferret vocem nihili, *dentatum*. *Peltatus* vocatur miles a parte armorum, sicut *clipeatus* Curc. 3, 54. clipeum enim gerebant isti milites etiam pace, ostentationis causa, cum prodibant in publicum. Periplectomenes Mil. glor. 1, 1, 1.: *Curate, ut splendor meo sit clipeo clarior Quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent.* — 5. *duco* posteriorem corripit, sicut *Ero* Mil. 3, 3, 54. quod notandum, siquidem o finale nominum et verborum produci solet apud veteres. nisi ponendum sit, hyperbato usurpato: *Quoiam esse te vis, ad eum duco, maxume*, et loco isto Militis expungi placeat τὸ *omnem*, quod cuiusvis erat inculcare, cum praesertim aliis quoque in locis id verbum de suo addidisse videantur librarii, velut 2, 2, 8.

Calidorum haud multo post faxo amplexabere.
Ps. Quid tu intus, quaeso, desedisti? Quam diu
Mihi cor retunsum est oppugnando pectore!
Occasionem reperisti, verbero,
Ubi percontere insidiis med hostilibus?
S. Quin hinc metimur gradibus militariis?
Ps. Atqui edepol, quanquam nequam homo es, recte mones?
Ite hac, triumphi, ad cantharum recta via!

BALLIO.

Hahahe! nunc demum mi animus in tuto est loco, i. s. IV, 5.
Postquam iste hinc abiit atque abduxit mulierem.
*Lubet, nunc venire Pseudolum, scelerum caput,
Abducere a me mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis, satis certo scio,
Ego periurare mavelim me millies,
Quam mi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem, si convenero;
Verum in pistrinum, credo, ut convénit, fore.
Nunc ego Simonem mi obviam veniat velim:
Ut mea laetitia laetus promiscam siet.

SIMO. BALLIO.

Si. Viso, quid rerum meus Ulixes egerit, i. s. IV, 6.
Iamne habeat signum ex arce Ballionia.
Ba. O fortunate, cedo fortunatam manum!
Si. Quid est? Ba. Iam .... Si. Quid iam? Ba. Nihil est, quod metuas. Si. Quid est? Venitne homo ad te? Ba. Non. Si. Quid est igitur boni?
Ba. Minae viginti sanae ac salvae sunt tibi,
Hodie quas abs te indu est stipulatus Pseudolus.

---

10. V.: *U. perconteris me ins. host.* — Act. IV, 5. 1. *Hahahe.* Palat.: *ahe.* V.: *Ha hae.* Cf. 4, 1, 41. — 3. *Lubet, nunc venire.* duri numeri, ut malim: *L., nunc ire — abducere* etc. Terent. Hec. 1, 2, 114.; *It visere* etc. *venire* speciem habet interpretationis. Ceterum sic vett. quaedam edd., in quibus Longolii. V. prorsus corrupto versu: *Mihi libet* etc. — 4. Perperam libri: *Et abducere.* — Act. IV, 6, 2. *signum.* Phoenicium, ut Ulysses Palladium, i. e. Palladis signum, sustulit ex arce Troiana. Lamb. — 4. V.: — *manum, Simo!* Si. *Quid est?* etc. vide annot. ad 1, 3, 13. — 7. V.: *inde est instipulatus.* Scriverius: *abs te indu-stipulatus*, i. e. instipulatus; hoc recte; sed servandum *est*, usurpata tmesi, ne versus legitima careat caesura.

Si. Velim quidem hercle! Ba. Rega me viginti minas,
Si illic hodie illa sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.
Rega, obsecro hercle (gestio promittere):
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias;
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
Si. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier,
Ut concepisti verba. Viginti minas
Dabin'? Ba. Dabuntur. Si. Hoc quidem actum est haud male.
Sed convenistin' hominem? Ba. Imo ambo simul.
Si. Quid ait? quid narrat, quaeso? quid dixit tibi?
Ba. Nugas theatri, verba, quae in comoediis
Dici solent lenoni, quae pueri sciunt:
Malum et scelestum et periurum aibat esse me.
Si. Pol haud mentitust. Ba. Ergo haud iratus fui:
Nam quanti refert, te nec recte dicere,
Qui nihili faciat quique inficias non eat?
Si. Quid est, quod nunc non metuam? id audire expeto.
Ba. Quia nunquam mulierem a me abducet, nec potest,
Iam. Meministine, tibi me dudum dicere,
Eam venisse militi Macedonio?
Si. Memini. Ba. Hem, illius servos huc ad me argentum attulit
Et obsignatum symbolum .... Si. Quid postea?
Ba. Qui inter me atque illum militem convenerat.
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
Si. Bonan' fide istuc dicis? Ba. Unde ea sit mihi?
Si. Vide ne illic modo sit contechnatus quidpiam.
Ba. Epistola atque imago me certum facit.
Quin in Sicyonem illanc quidem abduxit modo.
Si. Bene hercle factum! Quid ego cesso Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molas coloniam?
Sed quis hic homo est chlamydatus? Ba. Non edepol scio,
Nisi ut observemus, quo eat, aut quam rem gerat.

---

11. V.: *Rogato.* — 17. Sic vett. libri. V.: *Sed hom. conv.?* Non liquescit *hominem.* — 25. V.: *Q. e., quod non metuas ab eo? id a. e.* cf. 4. Similia *non* et *nunc* in libris: hinc, puto, error, quem alibi quoque deprehendas. — 36. V.: *Q. iam quidem illam in Sic. ex urbe abduxit* (Ernest. operarum oscitatione: *adduxit*) *m.* — 38. *Molas*, i. e. molae, MSS. V.: *molarum.*

HARPAX. SIMO. BALLIO.

Ha. Malus et nequam homo est, qui nihili imperium heri facit sui servos; t. t. IV, 7.
Nihili est autem, suom qui officium est inmemor facere, nisi admonitus.
Nam qui liberos eloco se arbitrantur, b. t.
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxantur, lustrantur, b. d.
Comedunt, quod habent, servitutis hi diu nomen ferunt; t. t. c.
Nec boni ingeni quidquam in his inest, as., 2 t. h.
Nisi uti sè inprobis teneant artibus.
Cum his mihi nec locus convenit, neque
Sermo, nec fui his unquam nobilis.
Ego, ut mihi imperatum est, etsi abest, herum adesse hic arbitror. i. t.
Nunc ego illum metuod, hic quom non adest, ne, quom adsiet, t. t. c.
Metuam. Ei rei dabo operam. t. d.
Nam in taberna usque adhuc siverat me Syrus, c. t.
Quoi dedi symbolum. Mansi, uti iusserat
(Leno ubi esset domi, me aibat arcessere); c. t.
Verum ubi is non venit, nec vocat: veniod huc
Ultro, quid rei siet: c. d.
Ne illic homo me ludificetur; neque quidquam est melius quam ut pultem t. t.
Hoc, atque aliquem huc evocem intus. Leno hoc argentum volo t. t. c.
A me accipiat atque amittat mulierem mecum simul.
Ba. Heus tu! Si. Quid vis? Ba. Hic homo meus est.
Si. Quidum? Ba. Quia praeda haec mea est:
Scortum quaerit; habet argentum. Iam admordere hunc mihi lubet.
Si. Iamne illunc comesurus es? Ba. Dum recens est, b. t.
Dum datur, dum calet: devorari decet. c. t.
Nam boni me viri pauperant; improbi
Rem meam augent. Malo strenui sunt popli,

Act. IV, 7, 2. V.: *nisi adeo monitus.* Vetus liber Camer.: *nisi est admonitus.* — 3. V.: *lib. esse illico.* — 5. *luxantur* Non. v. Lustrare. Festus p. 90 Lindem.: *Luxantur, i. e. luxuriantur, a luxu.* — 6. V.: — *habent, ii nomen diu servo. ferunt.* — 14. *siverat.* Ita I. H. Voss. in litteris ad me datis. Ll. mendose: *sineret.* — 16. V.: *aiebat.* — 18. V.: *Ultro, ut sciam, quid r. s.* Interpretatio inconcinna, quam sublegerint versu 30. Sic Amph. 5, 1, 17. adscripserunt: *ut sciscam.* — 20. *Hoc,* ostium Ballionis.

Improbi mi. usui. cr. d.
Si. Malam quod tibi di dabunt, ut scelestus. b. t.
Ha. Me nunc conmoror, foris has quom non ferio, uti
30 sciam, t. t. c.
Sitne Ballio domi. Ba. Venus haec mihi datat bona, quom hos huc adigit t. t.
Lucrifugas, damni cupidos, qui se suamque aetatem bene curant,
Edant, bibunt, scortantur. Illi alio sunt ingenio atque tu, i. t.
Qui neque tibi bene esse patere et illis, quibus est, invides.
Ha. Heus, ubi estis vos? Ba. Hic quidem ad me recta
35 habet rectam viam. t. t. c.
Ha. Heus, ubi estis? Ba. Heus, adulescens, quid istic debetur tibi? — as., t. d. et i. d.
Bene ego ab hoc praedatus ibo. Novi: bona scaeva est mihi. t. t. c.
Ha. Ecquis hoc aperit? Ba. Heus, chlamydate, quid istic debetur tibi?
Ha. Aedium dominum lenonem Ballionem quaerito.
40 Ba. Quisquis es, adulescens, operam fac conpendi quaerere.
Ha. Quid iam? Ba. Quia ted ipsus coram praesens praesentem videt.
Ha. Tun' is es? Si. Chlamydate, cave, sis, tibi a curio infortunio, as., t. d. et i. d.
Atque in hunc intende digitum: hic leno est. Ba. At hic est vir probus;
Sed tu, probe vir, flagitare saepe clamore in foro, t. t. c.
45 Quom libella nusquam est, nisi quid leno hic subvenit tibi.
Ha. Quin tu mecum fabulare? Ba. Fabulor. Quid vis tibi?
Ha. Argentum accipias. Ba. Iamdudum, si des, porrexi manum.
Ha. Accipe. Hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae.

26—29. V.: *improbi alunt, Augent rem meam mali: populi strenui Damno mihi, improbi usui sunt.* Si. *malum Quod tibi dei dab., qui sic scelestus.* MSS.: *alent*, quod videtur esse sphalma librarii, primum male legentis τὸ *augent*, dein hoc illi subiicientis. *Malo*, damno, ut Curc. 4, 2, 15.: *Odio, malo et molestiae, bono usui estis nulli.* Vox *Damno* a Camerario profecta est. Vett. edd.: *dabunt, ut scelestus* (scil.: es). — 31. MSS.: *datat*. V.: *dat.* — 36. V.: *ubi estis vos?* — 42. *curio*, curarum pleno, misero. Simili sensu *curionem agnum* dixit Aul. 3, 6, 27. — 43. Digito medio porrecto irridebant lenones.

Hoc tibi herus me iussit ferre Polymachaeroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phoenicium.
Ba. Herus tuos.... Ha. Ita dico. Ba Miles.... Ha. Ita loquor. Ba. Macedonius ....
Ha. Admodum, inquam. Ba. Te ad me misit Polymachaeroplacides ....
Ha. Vera memoras. Ba. Hoc argentum ut mihi dares .... Ha. Si tu quidem es
Leno Ballio. Ba. Atque ut a me mulierem tu abduceres?
Ha. Ita. Ba. Phoenicium esse dixit? Ha. Recte meministi. Ba. Mane:
Iam redeo ad te. Ha. At maturate propera: nam propero. Vides,
Iam die multum esse? Ba. Video. Hunc advocare etiam volo.
Mane modo istic: iam revortar ad te. — Quid nunc fit, Simo?
Quid agimus? Manufesto hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
Si. Quid iam? Ba. An nescis, quae sit haec res? Si. Iuxta cum ignarissumis.
Ba. Edepol hominem verberonem Pseudolum! ut docte dolum
Commentust! tantundem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuos adlegavit hunc, quasi a Macedonio
Milite esset. Si. Habesne argentum ab homine? Ba. Rogitas, quod vides?
Si. Heus, memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare!
Commune istuc esse oportet. Ba. Quid? malum? Id totum tuom est.
Ha. Quam mox mi operam das? Ba. Tibi do equidem. — Quid nunc mi es auctor, Simo?
Si. Exploratorem hunc faciamus ludos suppositicium
Adeo, donicum ipsus sese ludos fieri senserit.
Ba. Sequere. — Quid ais? Nempe tu illius servos es?
Ha. Planissume.
Ba. Quanti te emit? Ha. Suarum in pugna virium victoria:
Nam ego eram domi imperator summus in patria mea.

---

34. *tu.* Praebuit hoc Palat. — 55. Sic idem MS. et edd. vett. V.: *Phoeniciumne.* — 58. V.: *fiet.* — 70. Male hic versus Ballioni tribuitur in libris.

Ba. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?
Ha. Centumeliam si dices: audies. Ba. Quotumo die
Ex Sicyone huc pervenisti? Ha. Altero ad meridiem.
Ba. Strenue mehercule isti. — Quamvis pernix hic homo est!
Ubi suram adspicias: scias, posse eum gerere crassas compedes.
Quid ais? tune etiam cubitare solitus in cunis puer?
Si. Scilicet. Ba. Etiamne facere solitus es? scin', quid loquar?
Si. Scilicet solitum esse. Ha. Sanine estis? Ba. Quid hoc, quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?
Ha. I in malam crucem! Ba. Ire licebit tibi tamen hodie temperi. as., t. d. et i. d.
Ha. Quin tu mulierem mi emittis, aut reddis argentum.
Ba. Mane.
Ha. Quid maneam? Ba. Chlamydem hanc commemores, quanti conducta est. Ha. Quid est? t. t. c.
Si. Quid meret machaera? Ha. Helleborum hisce hominibus opus est. Ba. Eho . . . .
Ha. Mitte! Ba. Quid mercedis petasus hodie domino demeret?
Ha. Quid domino? quid somniatis? Mea quidem haec habeo omnia,
Meo peculio emta. Si. Nempe, quod femina summa sustinent.
Ha. Uncti hi sunt senes: fricari sese ex antiquo volunt.
Ba. Responde, obsecro hercle, hoc vero serio, quod te rogo:
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pseudolus?
Ha. Qui istic Pseudolust? Ba. Praeceptor tuus, qui te hanc fallaciam
*Docuit, ut fallaciis hinc mulierem a me abduceres.
Ha. Quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias,

---

84. *tamen*. Etiamsi ego non eam tecum in malam crucem. — 87, 90. *Quid meret mach.? — Nempe — sustinent*. His item Ballionis persona praescripta est in codicibus; sed ex verbis Harpacis intelligitur, Simonem quoque eum ludibrio habere. Ceterum ll.: *sustinet*, quod emendavit G. Canterus Nov. Lectt. 7, 16. *Nempe* legendum *Nemp'*, de quo v. anu. ad 2, 1, 16. — 94, 95. *qui te hanc fallaciam D., ut fallaciis* etc. Quis credat, ita locutum esse Plautum, minime infantem? Imo hoc dixit, nisi fallor: — *Docuit, ut fabricis hinc a me mul. tu abd.* Interpretatio est *fallaciis. tu* excidit, ut 54.

Quem ego hominem nulli coloris novi? Ba. Non tu istinc abis?
Nihil est hodie hic sycophantis quaestus. Proin tu Pseudolo
Nunties, abduxisse alium praedam, qui occurrit prior
Harpax. Ha. Is quidem edepol Harpax ego sum. Ba. Imo edepol esse vis. —
Purus putus sycophanta est. Ha. Ego tibi argentum dedi,
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo,
Herili imagine obsignatam epistolam, hic ante ostium. i. t.
Ba. Meo tu epistolam dedisti servo? quoi servo? Ha. Syro.
Ba. Num confidit sycophanta hic? Nequam meditatur male: t. t. c.
Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me attulit.
Ha. Harpax ego vocor; ego servos sum Macedonis militis;
Ego nec sycophantiose quidquam ago nec malefice,
Neque istunc Pseudolum, mortalis qui sit, novi neque scio. i. t.
Si. Tu, nisi mirum est, leno, plane perdidisti mulierem.
Ba. Edepol nae istuc magis magisque metuo, quom verba audio.
Si. Mihi quoque edepol iamdudum ille Syrus cor perfrigefaeit,
Symbolum qui ab hoc accepit. Mira sunt, ni Pseudolust.
Eho tu, qua facie fuit dudum, quoi dedisti symbolum? i. t.
Ha. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger, t. t. c.
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo admodum,
Magnis pedibus. Si. Perdidisti, postquam dixisti pedes!
Pseudolus fuit ipsus. Ba. Actum est de me! Iam morior, Simo!
Ha. Hercle haud te sinam ecmoriri, nisi mi argentum redditur,

---

97. *nulli* Iunt., Ald., quod aptius versui quam vulgatum *nullius*. Negat cacula, se scire, quo colore sit Pseudolus; quod familiare genus loquendi est, cum prorsus nobis incognitos significamus. Catullus 91.: *Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere, Nec scire, utrum sis albus an ater homo.* — *Non tu istinc abis?* Formula refellentis, sicut *Abi* et similia, de quibus Pareus lexico Plaut., nos ann. ad Mil. 4, 3, 18 (1097) in ed. 1. — 101. Ll.: *P. p. hic syc. est.* — 103. V., numeris aegre explicabilibus: *Heri imag.* — 105. V.: *Non confidit. syc. hic nequ. est: nugis med. m. Num*, nonne. *nequam*, malum, fraudem; *male*, dolose. *Nugis* adscripserint, postquam τὸ *nequam*, male intellectum ad superiora retulissent. Inconsulto quoque hic versus 61–63 repetiverunt, praeterquam in edd. mediae aetatis, improbante iam olim Acidalio. — 116. *ore rubicundo admodum*, quale potorum esse solet, et potor Pseud. inducitur 5, 1. Ita Longol., aliique, opinor, quos sequi solet. V.: *ore rubicundo, admodum Magnis pedibus*, quae interpunctio minus placet.

Viginti minae. Si. Atque etiam mihi aliae viginti minae.
Ba. Auferetur praemium id a me, quod promisi per iocum?
Si. De inprobis viris auferri praemium et praedam decet.
Ba. Saltem Pseudolum mihi dedas. Si. Pseudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? Dixin', ab eo ut tibi caveres, centies?
Ba. Perdidit me. Si. At me viginti modicis multavit minis.
Ba. Quid nunc faciam? Ha. Si mi argentum dederis: te suspendito.
Ba. Di te perdant! Sequere, sis, me ergo ad forum: ut solvam. Ha. Sequor.
Si. Quid ego? Ba. Peregrinos absolvam; cras agam cum civibus.
Pseudolus mihi centuriata habivit capitis comitia,
Qui illunc ad me hodie adlegavit, mulierem qui abduceret. —
Sequere tu nunc. — Ne exspectetis, dum hac domum redeam via:
Ita res gesta est, angiporta haec certum est consectarier.
Ha. Si graderere tantum, quantum loquere: iam esses ad forum.
Ba. Certum mi est, ecmortualem facere ex natali die.

S I M O.

Bene ego illunc tetigi, bene autem servos inimicum suom! t. t. c. IV, 8.
Nunc mihi certum est, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quam aliis in comoediis fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur; at ego iam inultus promam viginti minas,
Quas promisi, si ecfecisset; obviam ei ultro deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis vorsutus, nimis malus!
Superavit Dolum Troianum atque Ulixem Pseudolus!
Nunc ibo intro, argentum promam; Pseudolo insidias dabo.

---

125. *modicis.* vilibus, quasi parva sit ea summa. Ironice dictum. — 128. *Quid ego? peregr.* etc. Sic vett. libri; v.: *Hodie ego peregr.* — 129. V.: *habuit.* — 132. Per angiporta clanculum redire vult domum, ne in via conspiciatur a creditoribus. — Act. IV, 8, 7. *Dolum.* vide ann. ad 2, 2, 32.

PSEUDOLUS.

Quid hoc? siccine hoc fit, pedes? statin', an non? b. t. V, 1.
An id voltis, ut me hic iacentem aliquis tollat?
Nam hercle si cecidero, vostrum erit flagitium. as., c. d. t. d. br.
Pergitin' pergere? Ah, saeviundum mi hodie est.
Magnum hoc vitium vino est: pedes captat primum. b. t.
Luctator dolosust. b. d.
Profecto edepol ego nunc probe adeo madulsa: b. t.
Ita victu excurato, ita mundiciis digne, ah!
Itaque loco festivo sumus festive accepti.
Quid opus, multas me agere ambages? t. d.
Hoc est homini, quamobrem vitam amet: voluptates hic omnes, t. t.
Hic venustates sunt omnes; proxumum dis arbitror: t. t. c.
Nam ibi amans conplexus amantem est, ibi labra ad labella adiungit; t. t.
Ibi alter alterum bilingui manufesto inter se prehendunt; i. t. h.
Ibi manu mammilla opprimitur; t. d.
Aut, si lubet, corpora conduplicant; a. d.
Manu' candida cantharo dulcifero i. d. h.
Propinare amicis amanter amicitiam; b. t.
Neque ibi esse alium alii odio, nec molestum, t. tr. brach.
Nec sermonibus morologis uti:
Unguenta atque odores, lemniscos, corollas b. t.
Dari dapsilis; non enim parcipromi
Victu cetero: ne quis me roget. as., 2 t. h.
Hoc ego modo atque heru' minor hanc diem sumsimus prothyme. i. t. c.
Postquam opu' meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis: t. t.
Illos adcubantis, potantis, amantis, b. t.
Cum scortis reliqui et meum scortum ibidem,
Cordi atque animo suod obsequentes. b. tr.

Act. V, 1, 9. V., numeris durioribus: *It. in loco* (Ico). — 12. *Hic.* V., ab interpretatione: *in hoc.* Deinde: *deis prox. esse arb.* — 13—15. *ibi*, in comissatione. Codd.: *ubi.* Mediol., Longol.: *manu mamilla oppr., ac etiam si lubet.* V.: *mamma manicula oppr. alia; aut si* etc. — 17, 18. V.: *manu cand. cantharum dulciferum* (cantharū dulciferū) *Prop. amicissumam amicitiam*, quae et soloeca sunt, et numeros habent difficiles, vel potius nullos. Permixtae nonnunquam sunt o et u litterae in codd.; inde, opinor, ista *cantharum dulciferum. amant* autem, i. e. amanter, facile mutatum fuerit in *amam*, unam etc. — 19. Perperam libri: — *odio, ibi nec mol.* monuerunt pridem alii.

Sed postquam exsurrexid, orant med, ut saltem. Ad hunc modum me t. t.
Istali, illis ut satisfacerem ima ex disciplina: quippe t. d.
Ego, qui probe Ionica perdidici. a. d.
Sed palliolatim amictus sic incessi, ludibundus. i. t. c.
Plaudunt; partim clamitant med, ut revertar. t. tr.
Occepi denuo hoc modo volvi; idem amicae me dabam i. t.
Meae, ut me amaret. Ubi circumvorter: cado. i. s.
Id fuit naenia lude. t. d. br.
Itaque, dum emitor: pax! iam paene inquinavi pallium. t. t. c.
Nimiae tum voluptati edepol fui. as., b. d. et i.
Ob casam datur cantharus; bibi.
Commuto elece pallium; illud posivi; b. t.
Inde hac exii, crapulam dum amoverem.
Nunc ab hero ad herum meum maiorem venio foedus conmemoratum. t. t.
Aperite, aperite! heus, Simoni, adesse me, quis nuntiate!

SIMO. PSEUDOLUS. BALLIO.

Si. Vox viri pessumi me exciet foras. as., c. d. t. h. V, 2.
Sed quid hoc? quomodo? quid tu? video ego . . . .?
Ps. Cum corona ebrium Pseudolum tuom.
Si. Libere hercle hoc quidem! — Sed vide statum!
Num mea gratia pertimescit magis? c. t.
Cogito, saeviter blanditerne adloquar.
Sed med hoc vim vetat facere nunc, quod fero,
Si qua in hoc spes sita est mihi. c. d. h.
Ps. Vir malus viro optumo obviam it. Si. Di te ament, Pseudole. — t. t. c.
Phui,
In malam crucem! Ps. Cur ergo adflictem me? Si. Quid tu, malum, ergo t. t.
Ebrius mi in os inructas? t. d.
Ps. Molliter siste nunc me! cave, ne cadam! c. t.
Non vides me, ut madide madeam? t. d.
Si. Quae istaec audacia est, te sic interdius c. t.
Cum corolla ebrium incedere? c. tr.

---

30. Palat.: *satisfacere nime.* Priscae edd.: *satisfacere minime.* V.: *satisfacerem ex disc. ima*, intima, optima. — 43. Aut exciderunt nonnulla, aut oblitus est Pl. Calliphonis, qui se mox rediturum dixit I, 5, 148. — Act. V, 2, 10. Edd. quaedam, in quibus Longol.: *Cur ego me afflictem?* V.: *C. ergo me afflictor!* quod solocoum.

Ps. Lubet. Si. Quid? lubet? Pergin' ructare in os mihi? b. t.
Ps. Suavis ructus mi est. Sic sine modo. t. d. h.
Si. Credo equidem, potesse te, scelus,
Massici montis uberrumos quatuor c. t.
Fructus ecbibere in hora una. Ps. Hiberna, addito.
Si. Haud male mones. Sed dic tamen, i. d.
Unde onustam celocem agere te praedicem. c. t.
Ps. Cum tuo filio perpotavi modo.
Sed, Simo, ut probe tactus Ballio est! as., 2 t. h.
Quae tibi dixi, ut ecfecta reddidi!
Si. Derides? — Pessumus homo est! Ps. Mulier hic facit i. s.
Cum tuo filio libera adcubet. as., c. d. t. h.
Si. Omnia, ut quidque egisti, ordine scio.
Ps. Quid ergo dubitas dare mi argentum? Si. Ius petis, fateor. Tene. i. t.
Ps. At negabas, te esse daturum mihi; tamen das. — Orna hunc hominem, t. t.
Atque me consequere hac, sis. Si. Ego ita ornem te? Ps. Ornabis, scio. t. t. c.
Si. Quid ego huic homini faciam? satin' ultro argentum aufert et me inridet? t. t.
Ps. Vae victis! Vorte ergo humerum. — Hem, i. d. c.
Ballio! Ba. Hoc ego nunquam ratus sum fore med, ut tibi fierem supplex. t. t.
Heu, heu! heu, heu! Ps. Desine. Ba. Doleo. Ps. Ni doleres tu: ego dolerem.
Ba. Quid? hoc auferes nunc abs tuo hero? Ps. Lubentissumo corde atque animo. b. hexam.

---

26. V.: *Mul. haec feci.* Vett.: *M. hic facit. hic*, ego. — 28. Vox *ordine*, ultimam producit ante duplicem consonam. Qua de re nos ann. ad Aul. 2, 1, 30 (108) in 1. ed. nec tamen nolim: *ego scio.* 30, 31. *Orna*, *ornem*, *Ornabis*, i. e. Honora etc. eo se honorari vult a Simone, ut is secum introeat potatum. Ll., menda haud insolita: *Onera* etc. Praeterea legitur: — *consequere hac.* Si. *ego istum onerem? τῷ sis* offecerit Si. vicinum. — 32. Malim, quod usitatius: *hoc homine?* — 33. Verso humero introire iubet Simonem, cum Ballio redit a foro, supplicatque servo callido. — 34. De addito nomine Ballionis vide ann. ad 1, 3, 13. Contra Pseudoli nomen delendum esse 36., intellexi ex metro; legitur enim in libris recentioribus: *Quid hoc? auferrene* (natum hoc haud dubie ex *auferre nē*, i. e. *auf. nunc*, quod monstrant MSS. et priscae edd., ubi habetur: *auferre non*, quemadmodum permisceri solent *non*, *num*, *nunc*), *Pseudole*, *abs tuo hero.* Hisce emendatis et expuncto servi nomine apparuit bacchiacus versus hexameter, quem alias quoque hic noster usurpavit. Vide annotata ad Amph. 2, 2, 1. (474) in ed. nostra 1.

Ba. Non audes, quaeso, aliquam mihi partem gratiam facere
hinc argenti? i. t. h.
Ps. Novi, dices me avidum esse hominem: nam hinc numquam eris numo divitior. t. t.
Neque mei tergi misereret te, si hoc non hodie ecfecissem.
Ba. Erit, ubi te ulciscar, si vivo! **Ps.** Quid minitare?
Habeo tergum. as., t. d. et i. d. c.
Ba. Age sane. **Ps.** Igitur redi. **Ba.** Quid redeam? **Ps.** Redi
modo: non eri' decĕptus t. t.
Ba. Redeo. **Ps.** Simul mecum i potatum. **Ba.** Egone eam?
Ps. Fac, quod te iubeo.
Si is, aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres. **Ba.** Eo.
Duc me, quo vis. as., t. d. i. d. h.
Ps. Quid nunc? i. br.
Numquid iratus es aut mihi, aut filio, c. t.
Propter has res, Simo? **Si.** Nil profecto. **Ps.** I, sis, hac.
Si. Te sequor. Quin vocas spectatores simul?
Ps. Hercle me isti haud solent. Verum si adplaudere
Voltis atque adprobare hunc gregem et fabulam: in
Crastinum vos vocabo. c. d. h.

---

43. V. mecum potatum. Supplevit Acid. — 46. sis. Hoc, verum necessarium, facile perierit in scriptura continua. (*ps.isishac*, [illegible]) — 47. Te sequor. His Ballionis persona praescripta est in libris vulgatis, quae sub Simonis habet Longolius, sive primus, sive alius secutus, quod suspicor; et recte quidem: nam Simo iam condixit Pseudolo 43. — 48. V. post *solent* haec leguntur: vocavo, neque ergo ego istos, quibus putidis atque insulsissimis caret vetus ed. Mediol.

RUDENS.

Ba. Non audes, quaeso, aliquam mihi partem gratiam facere
hinc argenti? i. t. h.
Ps. Novi, dices me avidum esse hominem: nam hinc nunquam eris numo divitior. t. t.
Neque mei tergi misereret te, si hoc non hodie ecfecissem.
Ba. Erit, ubi te ulciscar, si vivo! Ps. Quid minitare?
Habeo tergum. as., t. d. et i. d. c.
Ba. Age sane. Ps. Igitur redi. Ba. Quid redeam? Ps. Redi
modo: non eri' deceptus t. t.
Ba Redeo. Ps. Simul mecum i potatum. Ba. Egone eam?
Ps. Fac, quod te iubeo.
Si is: aut dimidium aut plus etiam faxo hinc feres. Ba. Eo.
Duc me, quo vis. as., t. d. i. d. h.
Ps. Quid nunc? i. br.
Numquid iratus es aut mihi, aut filio, c. t.
Propter has res, Simo? Si. Nil profecto. Ps. I, sis, hac.
Si. Te sequor. Quin vocas spectatores simul?
Ps. Hercle me isti haud solent. Verum si adplaudere
Voltis atque adprobare hunc gregem et fabulam: in
Crastinum vos vocabo. c. d. h.

---

42. V.: *mecum potatum*. Supplevit Acid. — 46. *sis*. Hoc, versui necessarium, facile perierit in scriptura continua. (*ps.isishac, ps.ishac, ps.ihac*). — 47. *Te sequor*. His Ballionis persona praescripta est in libris vulgatis, quae sub Simonis habet Longolius, sive primus, sive alios secutus, quod suspicor; et recte quidem: nam leno iam condixit Pseudolo 43. — 48. V. post *solent* haec leguntur: *vocare, neque ergo ego istos*, quibus putidis atque inconcinnis caret vetus ed. Mediol.

RUDENS.

DRAMATIS PERSONAE.

ARCTURUS.
SCEPARNIO.
PLEUSIDIPPUS.
DAEMONES.
PALAESTRA.
AMPELISCA.
SACERDOS ANUS.
PISCATORES.
TRACHALIO.
LABRAX.
CHARMIDES.
GRIPUS.
LORARII.

ARGUMENTUM.

Reti piscator vidulum extraxit mari, i. s.
Ubi erant herilis filiae crepundia,
Dominum ad lenonem quae subrepta venerat.
Ea scilicet imprudens in clientelam patris,
Naufragio eiecta, devenit, cognoscitur,
Suoque amico Pleusidippo iungitur.

ARGUMENTUM CAMERARII.

Nomen fabulae ex re inditum. Introducitur enim (servus) piscator, qui in mari cepisset vidulum; funes autem nauticos, atque omnino grandiores, rudentes dixere, sive a strepitu, seu aliunde.

Argumentum tale est. Amiserat parvulam filiam civis quidam Atheniensis; ea venierat lenoni Cyrenensi. Pater huius, iniuriis civium suorum ad inopiam redactus, Athenis sese Cyrenas contulit. Puellam Atticam amat adolescens et redimere vult (dato arrabone); sed leno spe maioris lucri clanculum in Siciliam avehere

Vers. 1. libri: *R. p. de mari extr. vid. Vidulus* a viendo dictus videatur: v. Rud. 4, 3, 51.

illam parat. Navi autem fracta, haec et altera quaedam conserva ipsius ad littus Cyrenaicum in scapha referuntur; et leno reiicitur fluctibus, omnibus, quae secum auferre voluerat, bonis amissis. Repertas autem puellas ad fanum Veneris reducere vult. Quibus senex ille Atticus opem fert, ignarus, adesse filiam suam. Supervenit adolescens, lenonem in ius rapit. Senex filiam cognoscit de crepundiis inditis in (lenonis) vidulum, quem servus senis illius de mari extraxerat, captum reti. Tum prospera contingunt omnibus omnia: uxorem ducit puellam amatam adolescens, lenoni pecunia redditur, et piscatori conciliatur libertas.

PROLOGUS.

ARCTURUS.

Qui gentis omnis mariaque et terras movet, i. s.
Eius sum civis civitate coelitum.
Ita sum, ut videtis: stella splendens candida;
Signum, quod semper tempore exoritur suo.
Hic atque in coelo nomen Arcturo est mihi.
Noctu sum in coelo clarus atque inter deos;
Inter mortalis ambulo interdius.
Et alia signa de coelo ad terram accidunt:
Qui est imperator divom atque hominum, Iupiter,
Is nos per gentis ali[illegible] alia disparat:
Qui facta hominum, mores, pietatem et fidem,
Noscamus, ut quemque adiuvent opulentiâ.
Qui falsas litis falsis testimoniis
Petunt, quique in iure abiurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Iovem.
Cotidie scit ille, quis hic quaerat malum.
Qui hic litem apisci postulant periurio
Mali, res falsas qui inpetrant apud iudicem:
Iterum ille eam rem iudicatam iudicat,
Maiore multa multat quam litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.
Atque hoc scelestis in animum inducunt suom,
Iovem (se) placare posse donis, hostiis.

Prologi versu 3. *candida.* haud nolim *candide*, quod concinnius.— 10. *alia.* Guil. Verisim. 2, 25, Pareus, Reiz.: *aliuta*, i. e. aliter, auctore Festo (p. 5 Lindem.), qui haec affert e legibus Numae: *Si quisquam aliuta faxit* etc. sed videtur haec vox obsoleta fuisse Plauti aevo. Longol. Lamb.: *in alia.* Non liquescit *alium.* — 11. *Qui f. hom.* sic MSS., nisi quod habent *facta;* item Longol. V., auctore Lamb., qui metro prospexerit: *Hom. qui facta.* — 12. V.: *ut qu. adiuvet Opulentia*, quae et affectate dicta sunt, et parum cohaerent cum superioribus; quare dedi *adiuvent opulentiâ*, ut stellae perspicere dicantur hominum facta, mores, pietatem, fidem, quomodo illis prosint ad opes acquirendas. — 17. *apisci* Palat., Camer., Lamb., Pareus. V.: *adipisci.* Epid. 5, 2, 3: *Sine me hominem apisci.* — 23. *Iovem* pro monosyllabo est, v liquescente.

Et operam et sumtum perdunt: id eo fit, quia
Nihil ei acceptum est a periuris supplici.
Facilius, si qui pius est, a dis supplicans,
Quam qui scelestust, invenit veniam sibi.
Idcirco moneo vos ego haec, qui estis boni,
Quique aetatem agitis cum pietate et cum fide,
Retinete porro: post factum ut labtemini.
Nunc huc qua causa veni, argumentum eloquar.
Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. Illic habitat Daemones
In agro ac villa proxuma propter mare,
Senex, qui huc exul venit Athenis, haud malus;
Neque is adeo propter malitiam patria caret,
Sed, dum alios servat, se impedivit interim:
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filia olim virgo periit parvola;
Eam de praedone vir mercatur pessumus,
Leno. Huc Cyrenas is eam advexit virginem;
Adulescens quidam, civis huius, Atticus
Eam vidit ire e ludo fidicino domum:
Amare occepit, ad lenonem devenit,
Minis triginta sibi puellam destinat,
Datque arrhabonem et iureiurando adligat.
Is leno, ut se aequom est, flocci non fecit fidem
Neque, quod iuratus adulescenti dixerat.
Erat hospes ei, par illius, Siculus, senex
Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor;
Is illius laudare formam virginis
Et aliarum itidem, quae eius erant mulierculae;
Infit lenoni suadere, ut secum simul
Eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios
Dicit; ibi eum posse fieri divitem;
Ibi esse quaestum maxumum meretricibus.

---

27. V.: *inveniet*, numeris quidem deterioribus. — 30. *Retinete* pietatem et fidem. *factum*, factum esse, retinuisse vos illas virtutes. — 32. *Diphilus*, Sinopensis, comoediarum scriptor, qui floruit circa Olymp. 118., a. ante Chr. nat. 306. — 33. *Cyrenae* urbs Libyae, agricultura et commercio florens, natalis Callimachi, Eratosthenis, Aristippi. — 39. V.: *Huic filiola virgo per. parvola*, quae nec versui satis apta sunt, siquidem *Huic* fere monosyllabum est apud poëtas, sicut *Cui*, et pleonasmo putido offendunt, qui inest in verbo *parvola*. Iunt., Ald., Longol.: *Huic olim filiola v. p. p.* Reiz.: *H. filiola olim virgo p. p.* Imo dixit Plautus: *H. filia olim virgo* etc. — *ola* natum ex *oli*. — 51. V.: *Is ill. laud. infit formam v.*, cum sequatur *Infit* 53., unde videntur huc intulisse.

Persuadet: navis clanculum conducitur;
Quidquid erat, noctu in navem comportat domo
Leno; adulescenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait, sese Veneri velle votum solvere.
Id hic est fanum Veneris, et eo ad prandium
Vocavit adulescentem huc; ipse hinc eloco
Conscendit navem, avehit meretriculas.
Adulescenti alii narrant, ut res gesta sit:
Lenonem abiisse. Ad portum adulescens venit;
Illorum navis longe in altum abscesserat.
Ego quoniam video virginem asportarier,
Tetuli ei auxilium et lenoni exitium simul:
Increpui hibernum et fluctus movi maritimos:
Nam Arcturus signum omnium sum acerrumum:
Vehemens sum exoriens; quom occido, vehementior.
*Nunc ambo in saxo, leno atque hospes, simul
Sedent eiecti: navis confracta est ibi:
Illa autem virgo atque altera itidem ancillula
De navi timidae desiluerunt in scapham.
Nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius, exul qui ibi habitat senex.
Quoius deturbavit ventus tectum et tegulas;
Et servos ille est eius, qui egreditur foras.
Adulescens huc iam adveniet, quem videbitis,
Qui illam mercatust de lenone virginem.
Valete: ut hostes vestri diffidant sibi.

SCEPARNIO.

Proh di immortales, tempestatem quoiusmodi i. s. I, 1.
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
Detexit ventus villam! Quid verbis opust?
Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi:
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas,
Inlustriores fecit, fenestrasque indidit.

63, 65, 70. Verba *navem*, *portum*, *signum*, non sunt elidenda. — 72. *Nunc*. Dicendum erat, quo illi eiecti essent: praeterea Nunc habetur 76., ibique progressum rei actae significat. Quare puto, scribendum esse *Huc*, Huc eiecti. Similia *Huc* et *Nunc* in libris. — 73. *iis*. Perperam vulgati libri, auctore Cam.: *ibus*, quod priorem syllabam producit. — 77. V.: — *exul ubi hab. senex*. Confundi solent c et q, item b et u, litterae: igitur potuit, ut primum scriberetur *cuiiui* pro *qui ibi*, deinde *cui* sequente verbo simili oblitteraretur; quo facto consentaneum fuit, correctorem aliquem τὸ *ibi*, quod iam abhorreret a superioribus ex industria mutare. — Act. I, 1, 4. *Alcumena Euripidi*. Quae

PLEUSIDIPPUS. DAEMONES. SCEPARNIO.

Pl. Et vos abduxi vostris a negotiis, i. s. I, 2.
Neque id processit, qua vos duxi gratia:
Nequivi ad portum lenonem adprehendere;
Sed mea desidia spem deserere nolui:
Eo vos, amici, detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio visere,
Ubi rem divinam se facturum dixerat.
Dae. Prope me hinc nescio quis loquitur. — Heus Sceparnio!
Sc. Qui nominat me? Dae. Qui pro te argentum dedit.
Sc. Quasi me tuom esse servom dicas, Daemones.
Dae. Luto usust multo: multam terram confode.
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea quam cribrum crebrius.
Si sapiam: hunc, quo me mactat, concinnem lutum.
Pl. Pater, salve, amboque adeo. Dae. Salvo' sis.
Sc. Sed utrum tu mas an femina es, qui illunc patrem
Voces? Pl. Vir sum equidem. Sc. Quaere, vir, porro patrem.
Dae. Filiolam ego unam habui; eam unam perdidi;
Virile secus nunquam ullum hab[illegible]. Pl. At di dabunt.
Sc. Tibi quidem hercle, quisquis es, magnum malum,
Qui oratione hic occupatos occupes.
Pl. Isticcine vos habitatis? Sc. Quid tu id quaeritas?
An, quo furatum venias, vestigas loca?
Pl. Peculiosum servom decet esse et probum,

---

eius fabulae fragmenta exstant apud Scholiasten Aristophanis Ranis, Pollucem, et inprimis Stobaeum, in iis haud commemoratur tempestas illa, quam dicit servus, sed fere continent sententias de pretio veritatis, de libertate populi tuenda, de officio servorum, de amore liberorum, de nobilitate et divitiis, de miseriis fortiter ferendis. Videtur tragicus similia ibi dixisse Plautinis illis Amphitruone 5, 1, 42. et seqq., ubi partus Alcmenae describitur: *Ibi continuo contonat Sonitu maxumo. aedes primo ruere rebamur tuas; Deinde totae confulgebant tam, quam essent aureae.* Sic enim legendum puto secundum cod. Guelf., qui haec habet: *Aedes deinde totae conf. tuae, qu. e. a.* — Notavit Lamb., *Euripidi* esse genitivum antiquum, ut *Thucydidi*, *Themarchidi*. Similiter *Achilli* pro *Achillis* dixit Pl. Bacch. 4, 9, 14, et *Stratippocli* pro *Stratippoclis* Epid. 1, 1, 27.

Act. 1, 2, 3. V.: *Neque quivi.* 14. Hic versus post 7. habetur in libris, loco minime apto, legiturque: *hoc, quod me.* Nunc hoc mussitat servus, aversus a sene: Si sapiam, hunc Daemonem reddam lutum (i. e. interficiam), quo luto confodiendo atque aggerendo me mactat sive excruciat. — 15. Sic vett. V.: *salvos sies.* — 19. *habivi.* V.: *habui.* — 21. V.: *hic nos.* — 23. In Reim. V.: *mox ven.*

Quem heri praesentis praetereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
Sc. Et inpudicum et inpudentem hominem addecet,
Molestum ultro advenire ad alienam domum,
Quoi debeatur nil. Dae. Tace, Sceparnio.
Quid opus, adulescens? Pl. Isti infortunium,
Qui praefestinet, ubi herus adsit, praeloqui.
Sed, nisi molestum est, paucis percontarier
Volo ego ex te. Dae. Dabitur opera, atque in negotio.
Sc. Quin tu in paludem is exsecasque arundines,
Qui pertegamus villam, dum sudum est? Dae. Tace. —
Tu, si quid opus est, dice. Pl. Dic, quod te rogo:
Ecquem tu hic hominem crispum, incanum, videris,
Malum, periurum, palpatorem .... Dae. Plurimos:
Nam ego propter eiusmodi viros vivo miser.
Pl. Hic, dico, in fanum Veneris qui mulierculas
Duas secum adduxit, quique adornavit sibi,
Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.
Dae. Non hercle, adulescens, iam hos dies conplusculos
Quenquam istic vidi sacruficare, neque potest
Clam me esse, si qui sacruficant: semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam exstarem, aut aliquid; quid verbis opust?
Veneri paravi vasa et puteum, non mihi.
Nunc intervallum iam hos dies multos fuit.
Pl. Ut verba praehibes, me perisse praedicas.
Dae. Mea quidem hercle causa salvos sis, licet.
Sc. Heus tu, qui fana ventris causa circumis,
Iubere meliust prandium ornari domi.
Fortasse tu huc vocatus es ad prandium:
Ille, qui vocavit, nullus venit ad modum
Nullum. Est periclum, te ire hinc inpransum domum.
Cererem quam Venerem melius te sectarier:
Amori haec curat, tritico curat Ceres,
Pl. Deludificavit me ille homo indignis modis!
Dae. Proh di inmortales, quid illuc est, Sceparnio,

25. V.: *hero praesente.* Acid., Reiz.: *Q. hero praesente haud pr. or.*, quae non magis intelligas. Si divinavimus, hoc dicit Pleus., necesse esse, ut servus, qui non curet orationem heri praesentis, eiusque rationem nullam habens ipse loquatur, peculio et probitate sua fretus id faciat; alioqui eum vapulaturum. cf. 30, 31. — 34. V.: *exsicasque.* — 41. V.: *adornaret.* — 55. Ll. inepte: — *venit.* Pl. *Admodum.* Sc. *Nullum est per.* etc. *Ille* μονοσυλλάβως legendum est: vide ann. ad Pseud. 2, 1, 16. — 58. lta Sciopp., Reiz. V.: *Amorem.*

Hominum secundum littus? Sc. Ut mea opinio est,
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.
Dae. Qui? Sc. Quia post coenam, credo, laverunt heri.
Confracta navis in mari est illis. Dae. Ita est.
Sc. At hercle nobis villa in terra et tegulae. Dae. Hui,
Homunculi, quanti estis! eiecti ut natant!
Pl. Ubi sunt ii homines, obsecro? Dae. Hac ad dexteram.
Viden' secundum littus? Pl. Video. Sequimini.
Utinam is sit, quem ego quaero, vir sacerrumus!
Valete. Sc. Si non moneas: nosmet meminimus.
Sed, o Palaemon, sancte Neptuni comes,
Quique Herculis sociennus esse diceris,
Quod facinus video? Dae. Quid vides? Sc. Mulierculas
Video sedentis in scapha solas duas.
Ut adflictantur miserae! — Euge, euge! perbene!
Ab saxo avortit fluctus ad littus scapham,
Neque gubernator unquam potuit rectius. —
Non vidisse undas me maioris censeo.
Salvae sunt, si illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periclum est! Hei, eiecit alteram! —
At in vado est: iam facile enabit. — Eugepae,
Viden', alteram illam ut fluctus eiecit foras?
Surrexit, horsum se capessit. Salva res!
Desiluit haec autem altera in terram e scapha.
Ut prae timore ingenuo in undis concidit! —
Salva est: evasit ex aqua. Iam in littore est.
Sed dextrovorsum avorsa it in malam crucem.
Hem, errabit illaec hodie? Dae. Quid refert tua?
Sc. Si ad saxum quo capessit, ea deorsum cadit:
Errationis fecerit compendium.
Dae. Si tu de illarum coenaturus vesperi es:
Illis curandum censeo, Sceparnio;
Si apud me esurus: mihi dari operam volo.
Sc. Bonum aequomque oras. Dae. Sequere me hac ergo.
Sc. Sequor.

63. *Quia — heri.* Ridicule dixit: nam ante coenam lavabant. Sed mane haec aguntur, et noctu leno naufragium fecerat. — 71. *Palaemon*, deus marinus, Leucotheae seu Inonis filius, a Latinis Portunus dictus, quod portubus praesit. De quo M. Tullius lib. 2. et 3. de Nat. deorum. Lamb. — 72. Vett.: *Qui hercule socius e. d.* V.: *Quique h. illi s. e. d.* Iolaum dicit, cuius cultus diu viguit in Sicilia, Hercule auctore. (Diod. Sic. 4, 24.) — 77. Supplementum Reizii. Asinar. 2, 3, 22.: *Non potuit pictor rectius describere eius formam.* — 85. *ingenuo*, naturali. V.: *in genua.* — 88. V.: *Quid id r. t.?* — 91. *vesperi*, vesperna (coena), cf. Mil. 4, 2, 5.

PALAESTRA.

Nimiod hominum minus fortunae miserae memorantur, quam
experiundis asyn., t. d. et i. d. h. I, 3.
Datur acerbum. Hoc deo conplacitum est. Me, hoc ornatu
ornatam, eiectam
Timidam in incertas regiones! Hanccine ego ad rem natam
miseram t. t.
Me memorabo? hanccine partem capio ob pietatem prae-
cipuam?
Nam mi hoc haud labori est laborem hunc potiri, b. t.
Si me erga parentem aut deos inpiavi;
Sed id si parate curavi ut caverem:
Tum mi hoc indecore, inmodeste, datis, di!
Nam quid sibi igitur inpii posthac habebunt, i. tr. h.
Si ad hunc modum est innoxiis honos apud vos?
Nam me si sciam fecisse aut parentes sceleste: as., t. d. et b. d.
Minus mei miserer. Sed herile scelus me sollicitat;
Eius me inpietas male habet. Is navem atque omnia per-
didit in mari. as., t. d. et i. d.
Haec honorum eius reliquiae. Etiam, t. d.
Quae simul vecta mecum in scapha est, excidit; c. t.
Nunc ego sola sum! Quae mihi si foret
Salva; saltem labor lenior esset hic c. t.
Eius opera mihi. c. d.
Nunc quam spem aut opem aut consili quid capessam? h. t.
Ita hic sola solis locis conpotita.
Hic saxa sunt; hic mare sonat; nec mi obviam homo quis-
quam venit. i. t.
Hoc, quod induta sum, summae opes oppido; c. t.
Nec, cibo nec loco tecta quo sim, scio.
Quae mihi spes est, qua vivere me velim? as., c. d. et t. h.
Nec loci gnara sum, necdum hic fui.
Saltem aliquem velim, qui mi ex his locis
Aut viam, aut semitam monstret; ita ego nunc,
Hac an illac eam, incerta consili;
Nec prope usquam hic quidem cultum agrum conspicor; c. t.
Algor, error, pavor, me somno abstinent. as., c. d. et t. h.

Act. I, 3, 1, 2. Vett.: *mem. experiundo iis.* V.: — *mem., Quam reapse experiundo iis.* — 4. V.: *hancc. ego.* — 8. V.: — *indecore, inique, immod.* — 10. V.: *honor.* — 12. Longol.: *mei.* V.: *me.* — 14. V.: *eius sunt rel.* — 20. Ita Iunt., Ald., Long. V.: *comp. sum.* — 25. *necdum.* Inepte ll.: *nec diu.* Non liquescunt verba *necdum* et *Saltem* sequente versu. — 28. V.: *inc. sum consilii.* Vett. carent verbo *sum.* — 30. Vett.: *me omnia tenent.* V., auctore Cam.: *A., e., p., membra omnia t.* vid. praefat.

Haec, mei parentes miseri, haud scitis, me nunc esse, uti sum! t. t.
Libera ego prognata fui maxume; nequidquam fui.
Numqui minus sic servio quam, serva nata si forem? i. t.
Neque quidquam iis unquam profui, qui me sibi eduxerunt. i. t. c.

AMPELISCA. PALAESTRA.

Am. Quid mihi meliust, quid magis in rem est, quam corpore ut vitam secludam? as., t. d. et i. d. h. l, 4.
Ita male vivo atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales.
Dein vitae haud parco! perdidi spem, qua me oblectabam! i. t. c.
Omnia iam circumcursavi atque omnibus perreptavi in latebris: t. t.
Quaerens conservam voce, oculis, auribus, ut pervestigarem;
Neque eam usquam invenio, neque, quo eam, neque, qua quaeram, est consultum; as., t. d. et i. d. c.
Neque, quem rogitem responsorem, interea quenquam invenio;
Neque mage solae terrae sunt quam loca haec atque hae regiones;
Neque, si vivit, eam viva unquam quin inveniam desistam.
Pa. Quaenam mihi vox prope hic sonat? Am. Pertimui! quis loquitur prope? i. t.
Pa. Spes bona, obsecro, subvenia mihi! as., 2 t. h.
Am. Mulier est; muliebris vox ad auris mihi c. t.
Venit. An eximes hoc miseram ex metu? as., 2 t. h.
Pa. Certo vox muliebris tetigit auris meas. c. t.
Num, Ampelisca, obsecro, est? Am. Ten', Palaestra, audio?
Pa. Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo?
Ampelisca! Am. Hem, quis est? Pa. Ego Palaestra sum. as., c. d. et t. h.

---

31. V.: *me nunc miseram ita esse, uti sum.* non habetur *ita* in Decurtato, Mediol., Longol. — 32. Vulgata *fui* emendavit Reiz. — Act. I, 4, 3. Sic vett. V.: *Nunc dein*, quod sapit soloecismum. Nec me movet illud *Quae nunc deinde mora est?* apud Virg. Aen. 12, 889., sed depravatum arbitror et legendum: *Quaenam deinde m. est?* — 5. V.: *Quaerere — pervestigarem*, quod ne ipsum quidem latine dicitur. Similia n et r, C et C (S): hinc error. — 9. V.: *vivam.* Fortasse scribendum est, numeris probioribus: *invenam.* — 10. V.: *quis hic.*

Am. Dic, ubi es! Pa. Pol ego nunc in malis plurimis. c. t.
Am. Socia sum, nec minor pars mea est quam tua.
Sed videre expeto te. Pa. Mihi es aemula.
Am. Consequamur gradu vocem. Ubi es? Pa. Ecce me!
Accede ad me atque adi contra. Am. Fit sedulo.
Pa. Cedo manum. Am. Accipe. Pa. Dic: vivisne, obsecro? as., 2 t. h.
Am. Tu facis me quidem, ut vivere nunc velim,
Quom mihi te licet tangere! Ut vix mihi c. t.
Credo ego hoc, te tenere! Obsecro, amplectere,
Spes mea! Ut me omnium iam laborum levas!
Pa. Occupas praeloqui, quae mea oratio est.
Nunc abire hinc decet nos. Am. Quo, amabo, ibimus?
Pa. Littus hoc persequamur. Am. Sequor, quo lubet.
Pa. Siccine hic cum uvida veste grassabimur?
Am. Hoc, quod est, id necessarium est perpeti.
Sed quid hoc, obsecro, est? c. d.
Pa. Quid vides? Am. Amabo, fanum viden' hoc? Pa. Ubi est? Am. Ad dexteram. as., t. d. et i. d.
Pa. Video decorum dis locum viderier. i. s.
Am. Haud longe abesse oportet homines hinc: ita hic lepidust locus. i. t.
Est deus: veneror, uti nos ex hac aerumna eximat; t. t. c.
Miseras, inopes, aerumnosas aliquo [illegible] auxilio adiuvet.

SACERDOS. PALAESTRA. AMPELISCA.

Sa. Qui sunt, qui a patrona preces mea expetessunt? b. t. I, 5.
Nam vox me precantum huc foras excitavit.
Bonam atque obsequentem deam atque haud gravatam
Patronam exsequuntur benignamque multum.
Pa. Iubemus te salvere, mater. Sa. Salvete,
Puellae. Sed unde ire uvida cum veste as., b. d. et t. d. br.
Vos dicam, obsecro, ~~tam~~ moestiter vestias?
Pa. ~~Eloco~~ hinc imus haud longule ex hoc loco; c. t.
Verum longe hinc abest, unde vectae sumus.
Sa. Nempe equo ligneo per vias caerulas
Estis vectae. Pa. Admodum. Sa. Ergo aequius vos erat
Candidatas venire hostiatasque ad hoc

25. *Quom.* MSS.: *quam.* V.: *Quando.* — 34. V.: Pa. *quid?* Am. *viden', amabo, fanum? videsne hoc?* — 37. Sic Palat. et priscae edd. V.: ~~nunc~~, *quisquis est deus* etc. — Act. I, 5, 9. V., invitis libris vett.: *unde huc v. s.* — 10. V.: *caeruleas.*

Fanum; ad istunc modum non veniri solet.
Pa. Quaene eiectae e mari sumus ambae, obsecro, as., c. d. et t. h.
Unde nos hostias agere voluisti huc?
Nunc tibi amplectimur genua, egentes opum, c. t.
Quae in locis nesciis nescia spe sumus:
Ut tuo recipias tecto, servesque nos,
Miserarumque te ambarum uti misereat, as., b. d. i. h.
Quibus nec locus ullus nec spes parata est.
Neque hoc amplius, quod vides, nobis quidquam est! b. t.
Sa. Manus mihi date! exsurgite a genibus ambae!
Misericordior nulla me est feminarum.
Sed res pauperes sunt inopesque haec, puellae;
Egomet vix vitam colo, Veneri cibo meo servio. i. t.
Am. Veneris fanum, obsecro, hoc est? i. d. c.
Sa. Fateor. Ego fani huius sacerdos clueo. Verum, quidquid est, t. t. c.
Comiter nunc fiet a me, quo valebit copia.
Ite hac mecum. Pa. Amice benigneque honorem b. t.
Habes nostrum, mater. Sa. Oportet. b. tr.

PISCATORES.

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivont; i. t. c. II, 1.
Praesertim quibus nec quaestus est, neque artem didicere ullam.
Necessitate, quidquid est domi, id sat est habendum.
Nos iam de ornatu propemodum ut locupletes simus scitis.
Hi schoeni atque haec arundines sunt nobis quaestu et cultu;
Quotidie ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum;
Pro exercitu gymnastico et palaestrico hoc habemus:
Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas,

21. Reizii correctio. V.: *quam quod vides.* — 24. Vett.: *S. haec* (vett. edd.: *hae) paup. sunt inop. puellae.* V.: *Sed hic paup. res sunt inop., p.* — 28. Iidem: *Com. fiet a me, q. non* (vet. Camerar.: *nc̄*, i. e. nunc) *copia val.* — Act. II, 1, 4. V.: *Hisce hami atque hae harundines.* Palat.: *His cenam atque.* Mediol. a. 1500.: *His coenam a.* Paris., Brix., Longol.: *Hi schoeni enim atque hae har. Schoeni*, σχοῖνοι, funes iuncei ad praetexenda piscibus retia, ut ait Plin. II. N. 16, 1, 1. — 6. *Quotidie.* Lamb.: „*Cotidie ex urbe.* Sic habent diserte nostri libri veteres.“ Vulgati carent verbo *Quot.*, quod apud Cam. quoque legitur. Reiz. sequitur Lambinum. — 8. *echinos* marinos, Meerigel. Plin. 9, 51.: *Ex eodem genere* (cancrorum) *sunt echini, quibus spinae pro pedibus* etc. eorum echinus esculentus Linn., echinus mammillatus

Marinam urticam, musculos, placusias striatas;
Post id piscatum hamatilem et saxatilem adgredimur.
*Cibum captamus e mari; si eventus non evenit
Neque quidquam captum est piscium: salsi lautique pure
Domum redimus clanculum; dormimus incoenati.
Atque ut nunc valide fluctuat mare: nulla nobis spes est.
Nisi quid concharum capsimus: coenati sumus profecto.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepide adiurit hodie.

TRACHALIO. PISCATORES.

Tr. Animum advorsavi sedulo, ne herum usquam praeterirem: i. t. c. II, 2.
Nam quom modo exibat foras, ad portum se aibat ire;
Me huc obviam iussit sibi venire ad Veneris fanum.
Sed, quos perconter, commode eccos video adstare: adibo.
Salvete, fures maritumi, conchitae atque hamiotae,
Famelica hominum natio. Quid agitis? ut peritis?
Piscator. Ut piscatorem aequom est, fame, siti, spe.
Tr. Ecquem adulescentem
Vidistis facie strenua, dum illic adstatis, fortem,
Rubicundum, qui tris duceret chlamydatos cum machaeris?

et alii nonnulli sunt edules, quorum nonnisi unum genus noverat Aristoteles (H. A. 4, 5.). cf. Athen. 3, 41., Horat. Sat. 2, 4, 33. — *lepadas*, patellas, Napfschnecken. Lopadas vocat Nonius h. v. cf. Aristot. H. A. 4, 4., Athen. 3, 31, 91, e. — *ostreum* (ὄστρεον) et *ostrea* dicitur. (Non. v. Ostrea.) — *balanus*, Meereichel, genus est concharum immobilium, de quo Aristot. l. c. 4, 8, 19. — *conchas*. i. e. alias conchas.

9. *Mar. urticam*, κνίδην, Meernessel, cuius duo genera sunt, unum cavis saxorum adhaerens, alterum migrans (Aristot. l. c. 5, 14, 1.). — *musculos*, μύας, concharum genus, mytilos Linn., Miesmuscheln, quorum itidem duo genera numerantur similia naturae. (Aristot. l. c. 4, 4, 2., Athen. 3, 87, c.) — *placusias striatas*. Ita Reiz. auctore Salmasio. II.: *plagusias*. Concharum haud dubie hoc quoque genus, sed ignotum, a nomine πλακοῦς, *placenta*, appellatum propter latitudinem. — 11. *captamus*. Paulo ante legimus id verbum, et simile *captum* continuo sequitur. Adeone infantem esse Comicum? Vix credo, malimque sane insimulare librarios, qui *captamus* pro *raptamus* scripserint per oscitationem. Sic *fures maritumi* 2, 2, 5., et Martialis 8, 26, 2. venatorem dixit *raptorem*. — V.: *sin* (vett.: *si*) *ev. non venit*, quod ne latinum quidem est. *eventus evenit* dictum κατ' ἰδιοπάθειαν, sicut haec et similia, *gaudium gaudere*, *pugnam pugnare*, *servitutem servire*. — 15. *capsimus*. ceperimus. Lamb. — *coenati*. Ingeniosa emendatio Reizii. V.: *incoenati*. — 16. V.: *adiuverit*. correxit idem. — Act. II, 2, 1. Ll. soloece: *Animo adv.* 5. Nonius cap. I., pag. 25.: *Hamiotas* piscatores ab hamis Varro Bimargo voluit appellari: *Cohortis cocorum atque hamiotarum, aucupumque*. — 7—9. Men-

Pl. Nullum istac facie, ut praedicas, venisse huc scimus.
Tr. Ecquem
Recalvom ac silonem senem, statutum, ventriosum,
Tortis superciliis, contracta fronte, fraudulentum.
Deorum odium atque hominum malum, viti probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas secum satis venustas?
Pl. Cum istiusmodi virtutibus operisque natus qui sit,
Ad carnuficem eum quidem aequiust quam ad Venerem conmeare.
Tr. At si vidistis, dicite. Pl. Huc profecto nullus venit.
Vale. Tr. Valete. — Credidi. Factum est, quod suspicabar:
Data verba hero sunt: leno abît scelestus exulatum;
In navem ascendit, mulieres avexit. Hariolus sum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit sceleris semen.
Nunc quid mihi meliust, quam illico hic herum, dum venat, opperiar?
Eadem, sacerdotem hanc Veneriam, si quid amplius scit,
Si videro, exquisivero. Faciet me certiorem.

---

dose et turbate. ll.: *sitigue, speque.* Tr. *ecq. ad. huc, Dum hic astatis, stren. fac. rub., fortem, qui tres Duc. chlam. cum machaeriis* (Mediol., Reiz.: *machaeris*), *vid. venire* (MSS. et vett. edd.: *vidisti seni)? Fortem.* C. A. Boettiger. ann. ad Mil. glor. 4, 3, 13. (1092.) in ed. l. nostra: „Fortis et Pulcher antiquis idem. Notissimus Virgilii versus Aen. 7, 656.: *Satus Hercule pulcro Pulcer Aventinus.* Vid. Iul. Caes. Scaliger De causis linguae lat. l, 22.“ Dixerim potius, verbum *Fortis* eodem fonte derivandum esse, quo nomen *Fors*, itaque generatim significare eum, qui fortunae bonis praeditus sit, forma, robore, genere, divitiis, sed progressu temporis tantummodo robustum seu validum. cf. Nonius h. v., Plaut. Bacch. 2, 2, 38, Trin. 5, 2, 9. — *Chlam. cum mach.* homines, militares, quos Pleusidippus secum duxerat, ut sibi praesidio essent adversus lenonem, quem volebat e fuga retrahere. *Chlamys.* fuit vestis proprie militum atque epheborum, pallio brevior ac strictior, *sagum* Latinorum. *Machaera* acinacis, ensis falcatus (Säbel).

11. *Silonem. Silo* idem qui *Silus* Ciceroni de N. D. I, 29. Festus p. 262 Lindem.: *Silus appellatur a naso sursum versus repando.* Graecorum σιμός. — *statutum.* magnae staturae. Lamb. — 13. Ita Reiz. V.: *mali vitii.* — 15. *operisque. operae* hic sunt facta seu mores. Merc. 4, 5, 13.: *Pol haud censebam istarum esse operarum patrem.* — 19. Palat., Reiz.: *abit.* V.: *abiit.* — 21. *scel. semen.* Sceleris origo et propago; sceleris parens atque artifex. Lamb. — 22. *illico*, in loco. V., durioribus numeris: *hic opp. her., dum veniat?* — 23. V., auctore Gronovio, qui videtur metro prospexisse, quod tamen ne sic quidem expedivit: *Eadem haec sacerdos Veneria si qu. a. scit. Eadem* διασυλλάβως legitur, ut passim.

AMPELISCA TRACHALIO.

Am. Intellego: quae proxuma est, hanc villam, Veneris fano, i. t. c. II, 3.
Pulsare iussisti atque aquam rogare. Tr. Quoia ad auris
Vox mi advolavit? Am. Obsecro, qui hic loquitur? quem ego video?
Tr. Estne Ampelisca haec, quae foras e fano egreditur? Am. Estne hic
Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi? 5
Tr. Ea est. Am. Is est. Trachalio, salve. Tr. Salve, Ampelisca.
Quid tu agis? Am. Aetatem haud malam male. Tr. Melius ominare.
Am. Verum omnis sapientis decet conferre fabulari.
Sed Pleusidippus tuus herus ubi, amabo, est? Tr. Heia vero,
Quasi non sit intus! Am. Neque pol est, neque huc quidem ullus venit. 10
Tr. Non venit? Am. Vera praedicas. Tr. Non est meum, Ampelisca.
Sed quam mox coctum est prandium? Am. Quod prandium, obsecro te?
Tr. Nempe rem divinam facitis hic. Am. Quid somnias, amabo?
Tr. Certe huc Labrax ad prandium vocavit Pleusidippum,
Herum meum herus voster. Am. Pol haud miranda facta dicis: 15
Si deos decepit et homines, lenonum more fecit.
Tr. Non rem divinam facitis hic vos, neque herus? Am. Hariolare.
Tr. Quid tu agis hic igitur? Am. Ex malis multis metuque summo
Capitalique ex periculo orbas auxilique opumque huc
Recepit ad se Veneria haec sacerdos me et Palaestram. 20
Tr. An hic Palaestra est, obsecro, heri mei amica? Am. Certo.

Act. II, 3, 3. *qui* Mediol. V.: *quis*. — 5. *calator*. servus. cf. Pseud. 4, 2, 52. Festus p. 31 Lindem.: *Calatores dicebantur servi ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare, quia semper vocari possunt ob necessitatem servitutis*. Lamb. cf. Pseud. 4, 2, 52. — 7. *malam* vett., Reiz. V.: *mala*. — 8. V.: *conf. et fab.*, sententia subobscura. *Conferre verum fab.* est *conf. verum sermonem*, vera loqui, infinitivo usurpato pro nomine. Sic Bacch. 1, 2, 50.: *Hic verere perdidit*, i. e. pudorem, et Curc. 1, 1, 28.: *Ita tuum conferto amare semper* pro *tuum amorem*. — 13. *Nempe*. vid. ann. ad Pseud. 2, 1, 16.

Tr. Inest lepos in nuntio tuo magnus, mea Ampelisca.
Sed istuc periclum perlubet quod fuerit vobis scire.
Am. Confracta, mi Trachalio, est hac nocte navis nobis.
Tr. Quid? navis? quae istaec fabula est? Am. Non audivisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, et, quidquid domi fuit, in navem inposivit?
Ea nunc perierunt omnia. Tr. Oh, Neptune lepide, salve!
Nec te aleator ullus est sapientior. Profecto
Nimis lepide iecisti bolum: periurum perdidisti!
Sed nunc ubi est leno Labrax? Am. Periit potando, opinor:
Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.
Tr. Credo hercle anancaeo datum, quod biberet. Ut ego amo te,
Mea Ampelisca! ut dulcis es! ut mulsa dicta dicis!
Sed tu et Palaestra quomodo salvae estis? Am. Scibis faxo.
E navi timidae ambae in scapham insiluimus, quia videmus
Ad saxa navem ferrier; properans exsolvi restim.
Dum illi timent: nos cum scapha tempestas dextrovorsum
Differt ab illis; itaque nos ventisque fluctibusque
Iactatae exemplis plurimis miserae perpetuam noctem.
Vix hodie ad littus pertulit nos ventus exanimatas.
Tr. Novi: Neptunus ita solet. Quamvis fastidiosus
Aedilis est: si quae inprobae sunt merces, iactat omnis.
Am. Vae capiti atque aetati tuae! Tr. Tuo, mea Ampelisca.
Scivi lenonem facere hoc, quod fecit; saepe dixi.
Capillum promittam optumum est, occipiamque hariolari.
Am. Cavistis ergo tu atque herus, ne abiret, quom scibatis?
Tr. Quid faceret? Am. Si amabat, rogas, quid faceret? Adservaret
Dies noctisque, in custodia esset semper. Verum ecastor,
Ut multi, fecit: ita probe curavit Pleusidippus.
Tr. Cur tu istuc dicis? Am. Res palam est. Tr. Scin' tu? etiam, qui it lavatum

---

29. MSS.: *nullus*, negatione geminata, Graecorum more; qua de re nos ed. 1. ad Epid. 650. (5, 1, 57.) — 30. *bolum*, βόλον, iactum, velut iactum retis. vid. Budaeus in Pandect. p. 582. — 31. V.: *Perit.* cf. 2, 2, 19. — 33. *anancaeum* genus poculorum capaciorum, quod mireris neglectum Athenaeo l. 11., cum nomen sit graecum (ἀναγκαῖον, scil. ποτήριον). Varro de Vita populi Rom. l. 3. (Non. cap. 15., p. 547.): *Ad Sybaritanam praedam, in qua sunt tripodes, creterrae, anancaea, populo nobilium Tarentinorum.* perperam codd.: *Tarentinarum.* — 43. Aediles improbas merces foro prohibebant, putidaque edulia vel in profluentem iactabant. — 46. Harioli horridi impexique et inornati incedebant, quo omnibus maiori essent miraculo. Longol.

In balineas, quom ibi sedulo sua vestimenta servat;
Tam subripiuntur: quippe qui, quem illorum observet; falsust.
Fur facile, quem observet, videt; custos, qui fur sit, nescit.
Sed duce me ad illam. Ubi est? Am. I sane in Veneris fanum huc intro:
Sedentem flentemque opprimes. Tr. Ut iam istuc mihi molestum est!
Sed quid flet? Am. Ego dicam tibi. Hoc sese excruciat animi:
Quia leno ademit cistulam ei, quam habebat, ubique habebat,
Qui suos parentes noscere potesset. Eam veretur,
Ne perierit. Tr. Ubinam ea fuit cistellula? Am. Ibidem in navi
Conclusit ipse in vidulum: ne copia esset eius,
Qui suos parentes nosceret. Tr. O facinus impudicum,
Quam liberam esse oporteat, servire postulare!
Am. Nunc eum cum navi scilicet abiisse pessum in altum.
Et aurum et argentum fuit lenonis omne ibidem.
Tr. Credo aliquem inmersisse atque eum excepisse. Am. Id misera moesta est.
Sibi eorum evenisse inopiam. Tr. Iam istoc magis usus facto est,
Ut eam intro consolerque eam, ne sic se excruciet animi:
Nam multa praeter spem scio multis bona evenisse.
Am. At ego etiam, qui speraverint, spem decepisse multos.
Tr. Ergo animus aequus optumum est aerumnae condimentum.
Ego eo intro, nisi quid vis. Am. Eas. Ego, quod mihi imperavit
Sacerdos, faciam atque aquam hinc de proxumo rogabo:
Nam extemplo si verbis suis peterem, daturos dixit;
Neque digniorem censeo vidisse anum me quenquam,
Quoi deos atque homines censeam benefacere magis decere.
Ut lepide, ut liberaliter, ut honeste atque haud gravate
Timidas, egentis, uvidas, eiectas, exanimatas,
Accepit ad sese, haud secus, quam si ex se simus natae!

---

54. Parum placet verbum *observet* repetitum praeter necessitatem. Vett.: *observat;* praeterea D et R. litterae permixtae nonnunquam sunt a librariis. Potest igitur, ut Pl. dixerit *obsideat*, i. e. speculetur curiose. vid. Ernest. Clav. Cic. v. Obsidere. — 59. *potesset* Reiz. V.: *posset.* — 64. Sic vett., vel *abisse.* V.: *abivisse*, et *eam* pro *eum*, vidulum.

Ut eapse sic subcincta aquam calefactat: ut lavemus!
Nunc, ne morae illi sim, petam hinc aquam, unde mihi imperavit.
Heus, ecquis in villa [illegible]? ecquis recludit? ecquis prodit?

SCEPARNIO. AMPELISCA.

Sc. Quis est, qui nostris tam proterve foribus facit iniuriam? i. t. II, 4.
Am. Ego sum .... Sc. Hem, quid hoc boni est? [illegible], edepol specie [illegible] mulierem!
Am. Salve, adulescens. Sc. Et tu multum salveto, adulescentula. t. t. c.
Am. Ad vos venio .... Sc. Accipiam hospitio, nox si venies [illegible] adfecta: t. t.
Nam nunc nihil est, qui, tam mane. t. d.
Sed quid ais, mea lepida, hilara? Am. Ah, nimium familiariter t. t. c.
Me attrectas. Sc. Proh di inmortales, Veneris ecfigia haec quidem est!
Ut in ocellis hilaritudo est! Heia, corpus quoiusmodi
Subvolturium! illud quidem, subaquilum, volui dicere.
Vel papillae quoiusmodi! Tum quae indoles in savio est!
Am. Non ego sum pollucta pago. Potin', ut me abstineas manum?

---

80. V.: *Ut e. sic succincta. sic*, quo carent vett., videtur haustum a simili *suc-* vicino. — 82. V.: *ecquis hoc recludit?* sed *hoc* non habetur in vett. libris, et intelligi potest *villam*. cf. Mostell. 4, 2, 28., Poen. 3, 4, 19. — Act. II, 4, 2. *mulierem* Douza fil. et Reiz. cf. Poen. 5, 2, 147. V.: *mulier*. — 4. *nox* Palmerius. Pal.: *veniis*, pro *venies*, quod, Lamb. auctore, dedit Reiz. V.: *si mox venis, Item ut affectam: nam n. n. est qui te inanem*. Palat.: *manem*, quod natum arbitror ex *mane* ē (mane est), *manē*. et potest quidem, ut Pl. dixerit: *Nam nunc nihil est, qui* (i. e. quo, qua re te accipiam hospitio): *tam mane est;* sed idem sonant, et concinniore quidem oratione, illa *Nam nunc nihil est, qui, tam mane. maneē* Mediol. Longol. et alii mutarunt in *maneam*. Lamb. ex libris suis vett., ut ait: *Accipiam hospitio, si mox venies vesperi, Item ut affectam. nam nunc nihil est, qui te mane mulierem*. Sed quae sit fides librorum Lambinianorum, significavi in praefatione; alioqui bene haberent ista, sic emendata: *Accipiam — vesperi, Ita ut adfecta: nam — est, qui te mane munerem. Ita, ut adfecta*. scil. *es;* ita, ut affecta es malis naufragii atque egestatis. — 9, 10. *corpus subvolturium, subaquilum*. corpus colore simili vulturum vel aquilarum, i. e. fusco, qualem esse decuit puellam Cyrenis educatam. *Aquilus color* apud Festum (p. 18 Lindem.) est color fuscus et subniger, ut Lamb. annotavit. — 11. *pollucta pago*, apposita, velut cibus paganis hominibus, eorumque libidini exposita. cf. 5, 3, 64.

Sc. Non licet te sic, sic placide, bellam belle, tangere?
Am. Otium ubi erit: tum tibi operam ludo et deliciae dabo;
Nunc, quamobrem huc sum missa, amabo, vel tu mi aias vel neges.
Sc. Quid nunc vis? Am. Sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
Sc. Meus quoque hic sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
Am. Haec sacerdos hinc me petere iussit a vobis aquam.
Sc. At ego basilicus sum, quem nisi oras, guttam non feres.
Nostro illunc puteum periclo et ferramentis fodimus:
Nisi multis blanditiis, a me gutta non ferri potest.
Am. Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?
Sc. Cur tu operam gravare mihi, quam civis civi commodat?
Am. Imo etiam tibi, mea voluptas, quae voles, faciam omnia.
Sc. Euge[illegible], salvos sum! haec [illegible] me suam voluptatem vocat!
Dabitur tibi aqua: ne nequidquam me ames. Cedo mi urnam. Am. Cape.
Propera, amabo, ecferre. Sc. Manta: iam hic ero, voluptas mea.
Am. Quid sacerdoti me dicam hic demoratam tam diu?
Ut etiam nunc misera timeo, ubi oculis intueor mare!
Sed quid ego misera video procul in littore? i. s.
Meum herum lenonem Siciliensemque hospitem,
Quos periisse ambos misera censebam in mari!
Iam illud mali plus nobis vivit quam ratae.
Sed quid ego cesso fugere in fanum ac dicere haec
Palaestrae: in aram ut confugiamus prius
Quam[illegible] huc scelestus veniat nosque hic opprimat
Leno? Confugiam huc: ita res subito suppetit.

SCEPARNIO.

Proh di inmortales, in aqua nunquam credidi i. s. II, 5.
Voluptatem inesse tantam! ut hanc traxi lubens!
Nimio minus altus puteus visust quam prius.

32. *ratae*, ratae sumus. v. ann. ad Truc. 2, 1, 25. — 36. *huc*. Pal. *huic*. V.: *Conf. hinc: res ita supp. subito mihi*. Sed *Confugiam hinc* vix est ut latine dicatur pro *Aufugiam hinc* nec mihi habetur in vett. libris. Mss.: *suppetit subit.* — Act. II, 5, 4. *Praefiscine!* Voluptate nimia elatus, deprecatur invidiam et Nemesin.

Ut sine labore extraxi hanc! Praefiscine!
Satisne nequam sum, utpote qui hodie inceperim
Amare? Hem tibi aquam, mea tu bella! Enim sic volo
Te ferre honeste, ut ego fero: ut placeas mihi. —
Sed ubi tu es, delicata? Cape aquam hanc, sis. Ubi es? —
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala. —
Ubi tu es? etiamne hanc urnam acceptura es? ubi es? —
Commodule! meliust! — Tandem vero serio!
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nusquam hercle equidem illanc video. Ludos me facit.
Adponam hercle urnam iam ego hanc in media via.
Sed autem quid, si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram urnam Veneris? Mi exhibeat negotium.
Metuo hercle, ne illa mulier mi insidias locet,
Ut conprehendar cum sacra urna Veneria.
Nempe optumo me iure in vinclis enicet
Magistratus, si quis me hanc habere viderit:
Nam haec litterata est: ab se cantat, quoia sit.
Iam hercle evocabo hinc sacerdotem foras:
Ut hanc accipiat urnam. Accedam huc ad foris.
Heus, sis, Ptolemocratia, cape hanc urnam tibi!
Muliercula hanc nescio quae huc ad me detulit.
Introferunda est. Reperi negotium,
Si quidem his mihi ultrod adgerunda etiam est aqua.

LABRAX. CHARMIDES.

LA. Qui homo hominem sese miserum et mendicum volet, i. s. II, 6.
Neptuno credat sese atque aetatem suam:
Nam si quis cum eo quid rei conmiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol, Libertas, lepida es, quae nunquam pedem
Voluisti in navem mecum hercle una inponere.

---

5. *Satisne* vel *Satin'* (4, 5, 3.) Plauto valet Nonne: vid Amph. 2, 2, 1, Cist. 1, 3, 2, Mostell. 1, 1, 73. etc. — 6. Palat. *mea tu belliata hem* (emī, em, hem). V.: *m. t. bella. hem*, si *volo*. — 21. *litterata*. litteris inscripta, ut vas sacrorum, qu cognoscatur. vid. Douza Centur. p. 490. — 22. V.: *evocabo hin hanc*. — Act. II, 6, 5, 6. Sic vett. V., Cam. et Lamb. auctoribus: — *in navem cum Hercule una imp.* sed ea fabula no magis nota mihi est quam Salmasio. Libertatem amittere viden tur, qui navigant et mari se committunt. Hinc fortasse len finxit per iocum, Libertatem deam noluisse secum intrare navem

Sed *ubi ille* meus est hospes, qui me perdidit?
Atque, eccum, incedit. Ch. Quo, malum, properas, Labrax?
Nam equidem te nequeo consequi tam strenue.
La. Utinam, te prius quamde oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Sicilia perbiteres,
Quem propter hoc mihi obtigit misero mali!
Ch. Utinam, quom in aedis me ad te adduxisti tuas,
In carcere illo potius cubuissem die!
Deosque inmortalis quaeso, dum vivas, uti
Omnis tui similis hospites habeas tibi.
La. Malam Fortunam in aedis te adduxi meas.
Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio,
Quidve hinc abitio, quidve in navem inscensio,
Ubi perdidi etiam plus boni quam mihi fuit?
Ch. Pol minume miror, navis si fracta est tibi,
Scelus te et sceleste parta quae vexit bona.
La. Pessumdedisti me blandimentis tuis.
Ch. Scelestiorem coenam coenavi tuam,
Quam quae Thyestae anteposita est et Tereo.
La. Perii, animo male fit! Contine, quaeso, caput.
Ch. Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas.
La. Eheu, Palaestra atque Ampelisca, ubi esti' nunc?
Ch. Piscibus in alto, credo, praebent pabulum.
La. Mendicitatem mi obtulisti opera tua,
Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.
Ch. Bonam est quod habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex insulso salsum feci opera mea.
La. Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem?
Ch. Datas, quas tecum res agebam commodum.
La. Eheu, quis vivit me mortalis miserior?
Ch. Ego multo tanto miserior, quam tu, Labrax.
La. Qui? Ch. Quia ego indignus sum, tu dignus, qui sies.
La. O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas,

---

20. *plus — fuit.* i. e. aliena, quae secum clam abstulit, velut Pleusidippi arrabonem, Palaestrae cistulam. — 25. Atreum (regem Argivum) Thyestae (fratri) apposuisse filios comedendos, quod Thyestes in Atrei uxore adulterium fecisset, notum est vel pueris, neque minus notum, Prognem (Pandionis, Athenarum regis, filiam), Tereo, (Thraciae régi), viro suo, quod is Philomelam, Prognes sororem, vitiasset, eique postea, ne enuntiaret, linguam praecidisset, Itym, communem filium, comedendum obiecisse. Lamb. De Thyeste vide Senecae tragoediam cognominem, Hygin. fab. 86., 87., 88., de Tereo Apollodorum 3, 15., Ovid. Met. lib. 6., aliosque. — 35. Vett.: *Das* (Mediol. a. 1500: *Da*) *eas quae res ag. c.* Iunt. Ald.: *Da quas res tecum in navi ag. c.* V.: *Eas: eaque res ag. c.*

Qui semper servas gloriam aritudinis!
CH. Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia corusca prae tremore fabulor.
LA. Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis, postquam abii abs te, algeo.
Nae, thermopolium quidem nullum instruit:
Ita salsam praebibet potionem et frigidam.
CH. Ut fortunati sunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones adsident! semper calent.
LA. Utinam fortunae anatina nunc uterer,
Uti, quom exivissem ex aqua, arerem tamen!
CH. Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?
LA. Quapropter? CH. Quia pol clare crepito dentibus.
Iure optumo modo me lavisse arbitror.
LA. Qui? CH. Quia enim auderem tecum in navem ascendere,
Qui a fundamento mi usque movisti mare.
LA. Tibi auscultavi: tu promittebas mihi,
Illi esse quaestum maxumum meretricibus;
Ibi me conruere posse aiebas divitias.
CH. Iam postulabas, te, inpurata bellua,
Totam Siciliam devoratum ire insulam.
LA. Quaenam balaena meum voravit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne conpactum fuit?
CH. Eadem illa, credo, quae meum marsupium,
Quod plenum argenti fuit, in sacciperio.
LA. Eheu, redactus sum usque ad unam hanc tuniculam
Et ad hoc misellum pallium! perii oppido!
CH. Vae consociare mihi quidem tecum licet:
Aequas habemus partis. LA. Saltem si mihi
Mulierculae essent salvae: spes aliquae forent;
Nunc si me adulescens Pleusidippus viderit,
Quo ab arrabonem pro Palaestra acceperam:
Iam se exhibebit hic mihi negotium.
CH. Quid, stulte, ploras? tibi quidem edepol copia est,
Dum lingua vivet, qui rem solvas omnibus.

---

41. Festus p. 158 Lindem.: *Velitatio dicta est ultro citroque probrorum obiectatio, ab exemplo velitaris pugnae.* — 42. *coruca.* coruscata, vibrata, tanquam tela. — 44. Sic vett. V.: *posteaquam.* — 45. *nullum.* nullius pretii, malum. V.: *Ne th. qu. ullum i.* — 46. *praebibet* codex Ambros. V.: *praebet.* — 57. V.: *Illic.* — 60. V.: *devoraturum ins.* — 67. *Vae.* V.: *Vel.* — 71. Ita cod. Ambros. V.: *A quo arr.*

SCEPARNIO. CHARMIDES. LABRAX.

Sc. Quid illuc, obsecro, negoti, quod duae mulierculae i. t. II, 7.
ic in fano Veneris signum flentes amplexae tenent, t. t. c.
escio quem metuentes miserae? nocte hac vero proxuma
e iactatas atque eiectas hodie esse aiunt e mari.
La. Obsecro, hercle, adulescens, ubi sunt istaec, quas memoras, mulieres? asyn., t. d. et i. d.
Sc. Hic in fano Veneris. La. Quot sunt? Sc. Totidem, quot ego et tu sumus. t. t. c.
La. Nempe meae? Sc. Nempe nescio istuc. La. Qua sunt facie? Sc. Scitula.
Vel ego amare utramvis possim, si probe adpotus siem.
La. Nempe puellae? Sc. Nempe molestus es. I, vise, si lubet.
La. Meas oportet intus esse hic mulieres, mi Charmides. i. t.
Ch. Iupiter te perdat et, si sunt, et, si non sunt, tamen! t. t. c.
La. Introrumpam iam huc in Veneris fanum. Ch. In barathrum mavelim. —
Obsecro, hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci.
Sc. Istic, ubi vis, condormisce: nemo prohibet: publicum est.
Ch. At vides me, ornatus ut sim vestimentis uvidis:
Recipe me in tectum; da mihi vestiti aliquid aridi,
Mea dum arescunt. In aliquo tibi gratiam referam loco.
Sc. Tegillum eccillud mihi unum arescit; id, si vis, dabo:
Eodem amictus, eodem tectus esse soleo, si pluit.
Tu istaec mihi dato: exarescent faxo. Ch. Eho, an te poenitet,
In mari quod illi elavi, ni hic in terra iterum eluam?
Sc. Eluas tu an exungare, ciccum non interduim.
Tibi ego nunquam quidquam credam, nisi accepto pignore.
Tu vel nuda, vel peri algu; vel tu aegrota, vel vale.
Barbarum hospitem mihi in aedis nil moror: sat litium est.

Act. II, 7, 7. *Nempe n. istuc.* vid. ann. ad Pseud. 2, 1, 16. — 9. V.: *N. mol. es: vise si l.* Palat.: *mol. est vise.* Bacch. 4, 8, 60.: *I, vise, estne ibi* etc. — 16. *vestiti* prisce pro *vestitus*, ut *fructi, sonti, tumulti, ornati.* vide Terent., Non. cap. 8. V.: *vestimenti.* sed Palat.: *vestialiquid*, i. e. *vestitialiquid.* — 17. *loco*, hoc accessit ex Ambrosiano libro. — 18. *Tegillum*, *cuculiunculum e scirpo factum.* Festus, p. 155 Lindem. — 21. *illi*, i. e. illic, videtur haustum a sequente verbo *(ilielavi, ilelavi, elavi).* — 23. Palat.: *nisi si*, quo caverint versui, sed *Nisi* etiam Amph. I, 1, 124. et alias porrigit priorem. vide ann. ad eum locum.

Ch. Iamne abis? Venalis illic ductitavit, quisquis est:
Non est misericors. Sed quid ego hic adsto infelix uvidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiscam hanc crapulam,
Quam potavi praeter animi quam lubuit sententiae?
Quasi vinis graecis Neptunus nobis subfudit mare,
Itaque alvom prodi speravit nobis salsis poculis.
Quid opust verbis? si invitare nos paulisper pergeret:
Ibidem obdormissemus; nunc vix vivos amisit domum.
Nunc lenonem, quid agit intus, visam, convivam meum.

DAEMONES.

Miris modis di ludos faciunt hominibus, i. s. III, 1.
Mirisque exemplis somnia in somnis dabunt;
Ne dormientis quidem sinunt quiescere.
Velut ego hac nocte, quae praecessit, proxuma
Mirum atque inscitum somniavi somnium.
Ad hirundininum nidum visa est simia
Ascensionem ut faceret admolirier,
Neque eas eripere quibat inde. Postibi
Videtur ad me simia adgredirier,
Rogare, scalas ut duim utendas sibi.
Ego ad hoc exemplum simiae respondeo:
Natas ex Philomela ac Procne esse hirundines:
Ago cum ea, ne quid noceat meis popularibus.
Atque illa iam animo fieri ferocior:
Videtur ultro mihi malum minitarier;
In ius vocat me. Ibi ego nescio quomodo
Iratus videor mediam arripere simiam;
Concludo in vincla bestiam nequissumam.
Nunc, quam ad rem dicam hoc attinere somnium,
Nunquam hodie quivi ad coniecturam evadere.
Sed, quid hic in Veneris fano oritur clamoris, animus mirat. t. t.

---

26. *Ven. illic duct.* mangonem sive venditorem servorum (Seelenverkäufer) eum dicit quod genus hominum est crudele. — 29. V.: *sententiam.* — 30. Admiscebatur aqua marina vinis graecis, in Italiam travehendis, quo minus corrumperentur. vid. Schol. Horat. ad Sat. 2, 8, 15. — Act. III, 1, 9, 10. V.: *Videbatur*, quod correxit Reiz., et *darem.* — 12. V.: *atque ex Progne.* Malim: *aut Procne.* — 13. V.: *A. cum illa.* correpta posteriore verbi *Ago.* vide ann. ad Pseud. 4, 4, 5.

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Proh, Cyrenenses populares, vostram ego inploro fidem! t. t. c. III, 2.
Agricolae, adcolae, propinqui qui estis his regionibus,
Ferte opem inopiae atque exemplum pessumum pessumdate!
Vindicate: ne inpiorum potior sit pollentia,
Quam innocentum, qui se scelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum inpudenti; date pudori praemium!
Facite hic lege potius liceat quam vi victo vivere!
Currite huc in Veneris fanum! Vostram iterum inploro fidem,
Qui prope hic adestis quique auditis clamorem meum,
Ferte suppetias, qui Veneri Veneriaeque antistitae
More antiquo in custodelam suom conmiserunt caput!
Praetorquete iniuriae prius collum, quam ad vos pervenat!
Dae. Quid istuc est negoti? Tr. Per ego haec genua te obtestor, senex, i. t.
Quisquis es . . . . Dae. Quin tu ergo omitte genua et, quid sit, mi expedi, t. t. c.
Quod tumultues? Tr. Teque oro et quaeso, si speras tibi
Multum hoc anno futurum sirpe et laserpitium,
Eamque eventuram exagogam Capuam salvam et sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi . . . .
Dae. Sanun' es? Tr. Seu tibi confidis multam fore magudarim,
Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, senex.
Dae. At ego te per crura et talos tergumque obtestor tuom,
Ut tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam,
Et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali,
Ut mi istuc dicas negoti quid sit, quod tumultues.

Act. III, 2, 5. V.: *innocentium.* recte Reiz. secundum vett.: *innocentum.* — 7. *victo.* Frustra Acid. et Reiz.: *vitam.* — 11, 12. V.: *custodiam, perveniat.* Correxit Reiz. — 13. Palatini scriptura. V.: *Per ego te haec g. obt., s.* — 16. Non liquescit *Multum;* vel legendum est *in hoc anno.* — *Sirpe et laserpitium.* i. e. plantam ipsam (*ferulam assam foetidam* Linn.) et sucoum eius: nam σίλφι seu σίρφι Cyrenenses vocasse videntur plantam illam, bene provenientem apud eos, cuius succus est veterum *laserpitium,* quasi dicas *lac serpitium,* et voce truncata *laser;* quibus tamen nominibus interdum et ipsam plantam significarunt. Ex σίρφι, cuius loco etiam σίφρι dictum invenias, Latini fecerunt *sirpe* sive *serpe;* ex σίλφι Graeci σίλφιον. *laser* inter condimenta fuit, quo insperso veteres macerabant cibos; nec hodieque eius usus obsolevit in gulonum epulis. vidd. Plinius et Athen. passim, Salmas. ad Solin. etc. — 19. *magudarim,* μαγύδαριν, semen sirpis.

Tr. Qui lubet maledicere? Equidem tibi bona exoptavi
omnia. as., t. d. et i. d.
Dab. Bene equidem dico, tibi qui, te digna ut eveniant,
precor. t. t. c.
Tr. Obsecro, hoc praevortere ergo. Dae. Quid negoti est?
Tr. Mulieres
Duae innocentes intus sunt, tui indigentes auxili, i. t.
Quibus adversum ius legesque hic insignite iniuria t. t. c.
Facta est fitque in Veneris fano; tum sacerdos Veneria
Indigne adflictatur. Dae. Quis homo est tanta confidentia,
Qui sacerdotem audeat violare? Sed eae mulieres
Quae sunt, aut quid iis iniqui fit? Tr. Si das operam,
eloquar.
Veneris signum sunt amplexae; nunc deripere volt eas
Ambas. Dae. Esse oportet .... Qui istic est, qui tam
parvi deos
Pendit? Tr. Fraudis, sceleris, parricidi, periuri plenus,
as., t. d. et i. d. c.
Legirupa, impudens, inpurus, inverecundissumus; t. t. c.
Uno verbo absolvam: leno est. Quid illunc porro praedi-
cem? as., t. d. et i. d.
Dae. Edepol infortunio hominem praedicas donabilem. t. t. c.
Tr. Qui sacerdoti scelestus faucis interpresserit.
Dae. At malo cum magno fecit hercle suo. Ite istinc foras,
Turbalio, Sparax! Ubi estis? Tr. I, obsecro, intro! sub-
veni as., t. d. et i. d.
Illis! Dae. Iterum autem imperabo? — Sequimini hac!
Tr. Age, nunc iam t. t. c.
Iube oculos elidere itidem, ut sepiis faciunt coqui!
Dae. Proripite hominem pedibus huc itidem, quasi occisam
suem! —
Tr. Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.
Nimis velim inprobissumo homini malas edentaverint.
Sed ecce ipsae egrediuntur timidae e fanod ambae mulie-
res! i. t.

---

28. V., durioribus numeris: *intus hic sunt*, cum *hic* sequatur proximo versu. — 35. *Qui.* V.: *Quis.* — 43. *autem* vetus Mediol., Longol., Decurt.: *aut.* V.: *haud.* — 48. Decurt.: *S. ecce i. egr. tim. aefandae* (vetus cod. Cam.: *efandae*) *mul.* V.: *S. e. i. egr. t. e fano mul.*

PALAESTRA. AMPELISCA. TRACHALIO.

Pa. Nunc id est, quom omnium copiarum atque opum, c. t. III, 3.
Auxili, praesidi, viduitas nos tenet,
Nec via est, quae salutem adferat; c. tr.
partem ingredi persequamur. b. t.
in metu nunc sumus ambae:
Tanta inportunitas tantaque iniuria c. t.
Facta in nos est modo hic intus ab nostro hero,
Qui scelestus sacerdotem anum praecipes
Repulit, propulit, perquam indignis modis,
Neque ab signo intumo vi deripuit suas.
Sed, nunc se ut res fortunaeque nostrae ferunt,
Par moriri est neque est melius morte in malis
Rebus, miseris. Tr. Quid est? quae illaec oratio est?
Cesso ego has consolari? c. d. h.
Heus, Palaestra! heus Ampelisca! Pa. Obsecro, qui est, qui vocat? t. t. c.
An. Quis is est, qui nominat? Tr. Si respexis: scies. c. t.
Pa. O salutis meae spes! Tr. Tace ac bono animo es.
Me vide! Pa. Si modo id liceat, vis ne opprimat,
Quae vis, vim mi adferam ipsa, adigit. Tr. Ah, desine:
Nimis inepta es. c. h.
Pa. Desiste dictis nunc iam miseram me consolari. i. t. c.
Nisi quid re praesidium adparas, Trachalio: acta haec res est!
Certum est moriri, quam hunc pati lenonem in me grassari.
Sed muliebri animo sum tamen: ut miserae in mentem est i. tr. h.
Mihi mortis, metus membra occupat. Edepol hoc acerbum!
Tr. Bonum animum habete. Pa. Nam, obsecro, unde nunc mi is inveniatur? i. t. c.
Tr. Ne, inquam, timete! Adsidite hic in ara! An. Istaec quid ara

---

Act. III, 3, 3. Palat.: . . . *cuia est, quae.* libri Lamb.: *se nec* (vel *sed ne*) *via est.* — 4. Vetus cod. Cam.: *artem*, Decurt. et pars veterum edd.: *rtem.* Longol.: *Nec quam in partem i. p.* — 6—8, 37. Supplevèrunt Cam. et Lamb., sicut etiam sequentis scenae 7, 8, 19, 20, 33. — 10. *suas* priscae edd. V.: *sua.* — 15. V.: *heus, Pal.!* Pa. *qui vocat?* Tr. *Heus* (hoc omissum in Decurt. et priscis edd.), *Amp.!* An. *O. quis est qui v.* — 23. *len. in me* grta Longol. V.: *grass. lon. in me.* Vett. carent vocabulo *gras.* — 24. *ut mis. in mentem.* lta lunt., Ald., Long. V., auctore Cam.: — *tamen: mis. ubi venit in m.* — 25. V.: — *occup. edepol.* Tr. *etsi hoc ac., Bonum* etc. In veteribus *etsi* non habetur. — 26. Libri: — *unde mus invenitur?* — lunt., Ald., Long.: *inveniatur?* Reiz.: *invenietur?*

Prodesse nobis plus potest quam signum in fano hic intus
Veneris, quod amplexae modo, unde abreptae per vim miserae?
Tr. Sedete hic modo: ego hinc vos tamen tutabor. Aram habete hanc
Vobis pro castris, moenia hunc: ego vos defensabo.
Praesidio Veneris malitiae lenonis contra incedam.
Am. Tibi auscultamus et, Venus alma, ambae te obsecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrumantes, genibus nixae,
Nos in custodelam tuam ut recipias et tutere;
Illos scelestos, qui tuom fecerunt fanum parvi,
Ut ulciscare, nosque ut hanc tua pace aram obsidere
Sinas, quae e lautae ambae sumus opera Neptuni noctu,
Neque indignum habeas neve idcirco nobis vitio vertas,
Si quidpiam est, minus quod bene nunc lautum esse arbitrere.
Tr. Aequom petere has intellego: decet abs te id impetrari.
Ignoscere his te convenit: metus has, id faciant, subigit.
Te ex concha natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas.
Sed optume, eccum, exit senex patronus mihique et vobis.

DAEMONES. LABRAX. MULIERES. LORARII. TRACHALIO.

Dae. Exi e fano, natum quantum est, hominum sacrilegissume! t. t. c. III, 4.
Vos in aram abite sessum. Sed ubi sunt . . . .? Tr. Huc respice.
Dae. Optume. Lo. Istuc volueramus. Iube modo accedat prope
Legirupionem hunc. Dae. Tun' nobiscum hic dis facere postulas?
Pugnum in os inpinge! La. Iniqua haec patior cum pretio tuo.
Dae. At etiam minitatur audax. La. Ius meum ereptum est mihi!
Meas mihi ancillas invito me eripis. Tr. Igitur dato i. t.

---

31. V.: — *castris: moenia hinc ego def. vos* legitur in scriptis et vett. edd. — 35. Sic Mediol. V.: *custodiam.* — 40. *nunc* (nc̄) videtur haustum a *-ne* syllaba vicina. Reiz.: *arbitrere.* V.: *arbitrare.* — 42. V.: *id ut fac.* — Act. III, 4, 3. V.: — *prope.* Dae. *Tune* (Palat.: *tunc*) *leg. hic nobiscum dis f. post.?* Priscae edd.: *hunc leg.* Correxit Acid. — 7. *Igitur.* Cam. et Lamb.: *Ergo*, quod minus aptum numeris.

De senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum, t. t. c.
Si tuas oportet esse, nive oportet liberas,
Nen te in carcerem conpingi aequom est, aetatemque ibi
Te usque habitare, donec totum carcerem contriveris.
La. Non hodie isti re auspicavi, ut cum furcifero fabuler;
Te ego adpello. Dae. Cum istoc primum, qui te novit, disputa.
La. Tecum ago. Tr. Atqui mecum agendum est. Suntne illae ancillae tuae?
La. Sunt. Tr. Agedum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo.
La. Quid, si attigero? Tr. Extemplo hercle ego te follem pugilatorium
Faciam et pendentem incursabo pugnis, periurissume!
La. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere?
Dae. Non licet: ita est lex apud nos. La. Mihi cum vestris legibus
Nihil est commerci. Istas equidem iam ambas educam foras.
Tu, senex, si istas amas: huc arido argento est opus.
Dae. Hae autem Veneri conplacuerunt. La. Habeat, si argentum dabit.
Dae. Det tibi argentum? Nunc adeo, ut scias meam sententiam, asyn., t. d. et i. d.
Occipito modo adferre illis vim ioculo pauxillulam: t. t. c.
Ita ego te hinc ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris!
Vos adeo, ubi ego innuero, si non caput ei exoculassitis,
Quasi murteta iuncis, item ego vos virgis circumvinciam! as., t. d. et i. d.
La. Vi agi' mecum. Tr. Etiam vim opprobras flagiti in flagrantia? t. t. c.

---

9. V.: *Si tuas esse op., nive eas esse op. lib.* — 10. *Neu* vett. V.: *Nive.* — 16. *follem pug.* pilam coriaceam, vento repletam (*Ballon*), quam suspensam pugnis insectari solebant pugiles exercitationis causa, ut Lamb. et Taubmann. annotarunt. — 21. *huc.* Potest ut Pl. dixerit: *huic*, i. e. mihi, ut Acidalio placebat. *Aridum argentum* udo sive ebrio amori opponere videtur, quemadmodum *poculum amoris* dixit Truc. 1, 1, 22. et Trin. 2, 1, 26.: *Esse et bibere Amor amara dat tibi sati' quod aegre siet.* — 23. Ita Dissaldeus. V.: *Do tibi* etc. — 26. V.: — *innuero vobis, si ne ei c. e.* Minus probabiliter Reiz.: — *vobis, ni ei cap. ex.* — 27. Fasciculi myrtorum iunco colligati Veneri offerebantur. Est enim arbor haec Veneri dicata. Huc respicit poëta. Longol. *virgis circ.* virgatoribus circumdabo. vide Asin. 3, 2, 18—29, Amph. 1, 1, 7 etc.

LA. Tun', trifurcifer, mihi audes inclementer dicere?
TR. Fateor, ego trifurcifer sum; tu es homo adprime probus.
Numqui minus hasce esse oportet liberas? LA. Quid? liberas?
TR. Atque heras duas quidem hercle, atque ex germana Graecia:
Nam altera haec est nata Athenis ingenuis parentibus.
DAN. Quid ego ex te audio? TR. Hanc Athenis esse natam liberam.
DAN. Mea popularis, obsecro, haec est? TR. Non tu Cyrenensis es?
DAN. Imo Athenis natus altusque educatusque Atticis.
TR. Obsecro, defende civis tuas, senex! DAN. O filia,
Quem ego hanc video, mearum me absens miseriarum commones!
Trima quae periit mihi, iam tanta est, si vivit, scio.
LA. Argentum ego pro istisce ambabus, quoiae erant, domino dedi:
Quid mea refert, Athenis haec natae an Thebis sient,
Dum mihi recte servitutem serviant? TR. Itane, inpudens?
Tune hic, feles virginalis, liberos parentibus
Sublectos habebis atque indigno quaestu conteres?
Nam huiic alterae quae patria sit, profecto nescio;
Nisi scio, probiorem hanc esse quam te, inpuratissume.
LA. Tua sunt istaec. TR. Contende ergo tergo, uter sit verior.
Ni obferrumenta exhibebis pluria in tergo tuo,
Quam ulla navis longa clavos: tum ego ero mendacissumus.
Postea adspicito meum, quando ego tuom inspectavero.
Ni erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius
Optumum esse opere faciundo corium et sincerissumum:

---

32. *duas*. V.: *tuas*. — 37. V.: *O filia mea*. — 39. *est*. soloecum *esset* Lips. aliique emendarunt. — 43. *huiic*. id poscit versus. V.: *huic*. Reiz.: *Namque huic*. — 47. *Tua sunt istaec*. Tibi conveniunt eiusmodi convicia, non mihi. V.: *Tuae istae sunt!* Palat. *T. i. sunt*. praeterea libri: *C. ergo, uter sit tergo verior*, quae dure explices per synchysin. — 48. Vett. et mediae aetatis edd.: *offerrumentas habebis pluris*, s et x, itemque h i et s, litteris confusis, sicut alias haud semel. *exhibebis* coram iudice. Asin. 2, 4, 51.: *Da modo meo periculo: rem salvam ego exhibebo*. V.: *offerumentas*, quod tuentur verbis Festi p. 113 Lindem.: *Offerumenta sunt, quae offeruntur*, quasi quis dicat vibices offerri tergo, sicut dona templorum parietibus. Praestat altera scriptura, siquidem potius dicendum est *obferrumenta*, i. e. ferrumina, quibus vibices comparentur per ridiculum, *pluria in t. t.* — 51. Ni vett. V.: Nisi. Lamb.: *Ampullarius*. qui ampullas corio integit.

Quid causae est, quin virgis te usque ad saturitatem sanciem?
Quid illas spectas? quas si attigeris: oculos eripiam tibi! i. t.
LA. Atquin, quia vetas, utramque iam mecum abducam simul.
DAE. Quid facies? LA. Volcanum adducam: is Veneris advorsarius est.
DAE. Quo illic iit? LA. Heus, ecquis hic est? heus!
TR. Si attigeris ostium:
Iam tibi messis hercle in ore fiet mergis pugneis!
LORARIUS. Nullum habemus ignem; ficis victitamus aridis.
DAE. Ego dabo ignem, si quidem in capite tuo conflandi copia est.
LA. Ibo hercle aliquo quaeritatum ignem. DAE. Quid, quom inveneris?
LA. Ignem magnum hic faciam. DAE. Quin, ut humanum exuras tibi.
LA. Imo hasce ambas hic in ara ut vivas conburam! Id vole!
DAE. Nam hercle ego te barba continuod arripiam et in ignem coniiciam, t. t.
Teque ambustulatum obiiciam magnis avibus pabulum! t. t. c.
Quom coniecturam egomet mecum facio: haec illa est simia,
Quae has hirundines ex nido volt eripere ingratiis,
Quod ego in somnis somniavi. TR. Scin' quid? tecum ora, senex,
Ut illas serves, vim defendas, dum ego herum adduco meum. i. t.
DAE. Quaere herum atque adduce. TR. At hic ne . . . .
DAE. Maxumo malo suo, t. t. c.
Si attigerit, sive occentassit! TR. Cura. DAE. Curatum est: abi.
TR. Hunc quoque adserva ipsum, ne quo abbitat: nam premisimus

---

56. *Is Veneris adv.* Qdit enim Vulcanus Venerem, ut adulteram. — Lamb. — 57. V.: *it.* — 58. Festus (p. 92 Lindem.): *Mergae (sunt) furculae, quibus aceepi frugum fiunt, dictae a volucribus mergis, quia, ut illis se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur, sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos.* (Imo utramque, et mergus, et merga, i. e. furcula merga, dictum a mergendo. B.) Per *mergas* igitur *pugneas* iocose significat Pl. pugnos ori impactos. Lamb. — 62. *Quin — tibi.* Festus p. 76. Lind.: *Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat.* — 71. *occentassit* Douza fil., i. e. convicium fecerit. V.: *occeptassit.* — 72. Libri: *abitat.* cf. Truc. 2, 3, 14.

Carnufici aut talentum magnum aut hunc hodie sistere.
Dae. Utrum tu, leno, cum malo lubentius i. s.
Quiescis, an sic sine malo, si copia est?
La. Ego, quae tu loquere, flocci non facio, senex;
Meas quidem te invito et Venere et summo Iove
De ara capillo iam deripiam. Dae. Tangedum.
La. Tangam hercle verod. Dae. Agedum ergo, accede huc modo.
La. Iubedum recedere istos ambo illuc modo.
Dae. Imo ad te accedent. La. Non hercle equidem censeo.
Dae. Quid ages, si accedent propius? La. Ego recessero;
Verum, senex, si te unquam in urbe obfendero:
Nunquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos pessumos dimisero.
Dae. Facito istuc, quod minitaris; sed nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.
La. Quam magnum vero? Dae. Quantum lenoni sat est.
La. Minacias ego flocci non facio tuas.
Equidem te invito iam ambas rapiam. Dae. Tangedum.
La. Tangam hercle vero. Dae. Tange; sed scin', quomodo?
Idum, Turbalio, curriculo adferto duas
Clavas. La. Quas clavas? Dae. Sed probas. Propera cito. —
Ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es.
La. Eheu, scelestus galeam in navi perdidi:
Nunc mi opportuna hic esset, salva si foret.
Licet saltem istas mi adpellare? Dae. Non licet.
Ehem, optume eccum edepol clavator advenit!
La. Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.
Dae. Age, accipe illanc alteram clavam, Sparax!
Age, alter istinc, alter hinc adsistite!
Adsistite ambo! Sic. Audite nunc iam.
Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
Invitas, ni istunc istis invitassitis
Usque adeo donec, qua domum abeat, nesciat:
Periistis ambo! Si adpellabit quampiam:
Vos respondetote istinc istarum vicem.

---

73. Hunc inter et sequentem vs. cod. Ambros. has habet versûs reliquias:

modo ego . . . . . venero.

Fort.: *Daem.* Abi *modo: ego* istunc adservabo.

Trach. Sine mora *revenero.*

81. *equidem.* Sic idem cod. V.: *egomet.* — 89. V.: *ego istas flacci.* — 90. Vett.: *Equ. eas te.* — 106. V.: *quempiam*, quod minus probabat Acid.

Sin ipse abbitere hinc volet: quantum potest
Extemplo ampectitote crura fustibus.
La. Etiam me abire hinc non sinent? Dan. Dixi satis.
Et illic huc ubi servos cum hero advenerit,
Qui herum arcessivit: itote extemplo domum.
Curate haec, sultis, magna diligentia. —
La. Heu, hercle nae istic fana mutantur cito!
Hoc Herculi est iam, Veneris quod fanum fuit:
Ita duo destituit signa hic cum clavis senex.
Non hercle, quo hinc nunc gentium aufugiam, scio;
Ita nunc mihi utrumque saevit et terra et mare.
Palaestra! Lo. Quid vis? La Apage! controversia est;
Haec quidem Palaestra, quae respondit, non mea est.
Heus, Ampelisca! Lo Cave, sis, infortunio.
La. Ut potis est, ignavi homines satis recte monent.
Sed (vobis dico;) heus, vos! num molestia est,
Me adire ad illas propius? Lo. Nil nobis quidem.
La. Numquid molestum mihi erit? Lo. Nil, si caveris.
La. Quid est, quod caveam? Lo. Hem, a crasso infortunio!
La. Quaeso hercle, adire ut liceat. Lo. Adeas, si velis.
La. Bene hercle factum! Vobis habeo gratiam. —
Nunc potius abscedam. Lo Illic adstato eloco!
La. Edepol proveni nequiter multis modis.
Certum est, hodie usque has obsidione vincere.

PLEUSIDIPPUS. TRACHALIO. MULIERES. LABRAX. LORARII. CHARMIDES.

Pl. Meamne ille amicam leno vi, violentia, i. s. III, 5.
De ara deripere Veneris voluit? Tr. Admodum.
Pl. Quin occidisti extemplo? Tr. Gladius non erat.
Pl. Caperes aut fustem, aut lapidem . . . Tr. Quid ego?
Pl. Quasi canem,
Hominem insectares lapidibus nequissumum.
La. Nunc pol ego perii! Pleusidippus, eccum, adest:
Converret iam hic me totum cum pulvisculo.
Pl. Etiamne in ara tunc sedebant mulieres,
Quom ad me prefectus ire? Tr. Ibidem nunc sedent.

108, 9. V.: *abire*, *amplectitote*. Correxit Acid., a quo est etiam *quidem* pro *equidem* 120. et *adeas* 127. — 122. V.: *Ut potest*. — 127. V.: *abire* et *abeas*. *adire* legitur in Mediol. a. 1500. — 129. Libri: *Non* (vulgo: *Non.*) *accedam pot.* — Act. III, 5, 1, 5. V.: — *lapidam*. Tr. *Quid ego*, *qu. c.*, *H. insectaret l. nequ.?*

Pl. Quis illas illic servat? Tr. Nescio quis senex,
Vicinus Veneris, iis dedit operam optumam.
Is nunc cum servis servat: ego mandaveram.
Pl. Duc me ad lenonem recta. Ubi illic est homo?
La. Salve. Pl. Salutem nil moror. Opta ocius:
Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrum vis, opta, dum licet! La. Neutrum volo.
Pl. Abi sane ad littus curriculo, Trachalio:
Iube illos urbe ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent;
Post huc redito atque agitato hic custodiam.
Ego hunc scelestum iam rapiam in ius exulem.
Age, ambula in ius! La. Quid ego deliqui? Pl. Rogas?
Quin' arrabonem a me accepisti ob mulierem,
Et eam hinc avexti? La. Non avexi. Pl. Cur negas?
La. Quia pol provexi; avehere non quivi miser.
Equidem tibi me dixeram praesto fore
Apud Veneris fanum: numquid muto? sumne ibi?
Pl. In iure causam dicito; hic verbum sat est:
Sequere. La. Obsecro te, subveni, mi Charmides:
Rapior obtorto collo! Ch. Quis me nominat?
La. Viden' me, ut rapior? Ch. Video atque inspecto lubens.
La. Non subvenire mihi audes? Ch. Quis homo te rapit?
La. Adulescens Pleusidippus. Ch. Ut nactus's, habe
Bono animo. In nervom meliust te conrepere.
Tibi obtigit, quod plurimi exoptant sibi.
La. Quid id est? Ch. Ut id, quod quaerant, inveniant sibi.
La. Sequere, obsecro, me! Ch. Pariter suades, qualis es.
Tu in nervom rapere; eo me obsecras ut te sequar.
Etiam retentas? La. Perii! Pl. Verum sit velim!
Tu, mea Palaestra et Ampelisca, ibidem illico
Manete, dum ego huc redeo. Lo. Equidem suadeo,
Ut ad nos abeant potius, dum recipis. Pl. Placet;
Bene facitis. La. Fures mi estis. Lo. Quid? fures? Pl. Rape!
La. Oro, obsecro, Palaestra! Pl. Sequere, carnufex!
La. Hospes! Ch. Non sum hospes; repudio hospitium tuom.
La. Siccine me spernis? Ch. Sic ago; semel bibo.
La. Di te infelicent! Ch. Isti capiti dicito.

---

10. V.: *Qu. ill. nunc illic.* — 11. V.: *V. Veneris; is d. o. e.* — 18. *urbe*, in urbe, ibi relictos. vide 1, 2. V.: *in urbem.* — 23. *Quin' — avexti?* Libri: *Quin* (vel *Qui*) — *abduxisti.* Guil. Quaest. in Amph. c. 6. et Douza Centur. p. 498.: *Quin' — abduxti?* Acid.: *avexti*, quia sequitur *Non avexi.* — 27. V.: — *fanum: quid muto?* Emendavit Reiz.

Credo alium in aliam belluam hominem vortier;
Ille in columbum, credo, leno vortitur:
Nam indu columbari collum haud multo post erit;
In nervom ille hodie nidamenta congeret.
Verum tamen ibo: ei advocatus ut siem,
Si qui mea opera citius addici potest.

DAEMONES.

Bene factum et volupe est, me hodie his mulierculis
i. s. IV, 1.
Tetulisse auxilium: iam clientas reperi,
Atque ambas forma scitula atque aetatula.
Sed uxor scelesta me omnibus servat modis:
Ne qui significem quidpiam mulierculis.
Sed, Gripus servos noster quid rerum gerat,
Miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare.
Pol mage sapisset, si dormivisset domi:
Nam nunc et operam ludos datat et retiam.
Ut est tempestas nunc atque ut noctu fuit,
In digitis hodie percoquam, quod ceperit:
Ita fluctuarē video vehementer mare.
Sed ad prandium uxor me vocat: redeo domum.
Iam auris opplebit meas sua vaniloquentia.

GRIPUS.

Neptuno has ago gratias, meo patrono, b. t. IV, 2.
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Quom me ex suis pulcre ornatum expedivit
Templis reducem, plurima praeda onustum,
Salute horiae, quae in mari fluctuoso
Piscatu novo me uberi conpotivit;
Miroque modo atque incredibili hic piscatu' mihi lepide evenit; a. t.
Neque piscium ullam unciam hodie pondo as., 2 i. h.
Cepi, nisi hoc, quod fero hic in rete.
Nam ut de nocte multa inpigreque exsurrexi: b. t.
Lucrum praeposivi sopori et quieti;

50. *Columbar* Priscianus (l. 5.) interpretatur genus vinculi, quod collo aptatur, similitudine ducta a columbis, quorum colla videtur circuire coloratus circulus. Longol. — 53. *addici*. Pleusidippo a praetore *(ob fraudem)*. Lamb. Vide Poen. I, 1. — Act. IV, 1, 9. *datat*. MSS.: *dat*. V.: *facit*. *retiam* Priscianus p. 759. Putsch. libri Plautini: *retia*. — Act. IV, 2, 11. V.: *praeposui*, quod Reiz. correxit.

Tempestate saeva experiri expétivi,
Paupertatem heri qui b. d.
Mea sententia tolerarem. Opera haud fui parcus mea. t. t. c.
Nimis homo nihili est, qui piger est, nimisque id genus odi
ego male;
Vigilare decet hominem, qui volt sua temperi conficere officia: a. oct.
Non enim expectare oportet, dum suscitet herus ad suom officium: as., t. d. et i. d. h.
Nam qui dormiunt lubenter, sine lucro et cum malo quiescunt.
Nam ego nunc mihi, qui inpiger fui, as., 2 t. h.
Reperi, ut piger, si velim, siem.
Hoc ego in mari, quidquid hic inest,
Reperi. Quidquid est, grave quidem est. Ego hic
Aurum inesse reor; nec mihi conscius
Ullus est homo. Nunc occasio haec
Obtigit tibi, Gripe, ut liberet
Praetor te in poplo. t. h.
Nunc sic faciam, sic consilium est, ad herum ut veniam docte atque astu: t. t.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.
Iam ubi liber ero: igitur demum instruam agrum, aedis, mancipia;
Navibus magnis mercaturam faciam; apud reges rex perhibebor. as., t. d. et i. d. h.
Post animi causa navem mihi faciam atque imitabor Stratonicum: i. t. c.

13, 14. V.: *qui et meam sententiam. sententia*, prudentia. Cic. de Senect. cap. 6.: *Non viribus res magnae geruntur, sed sententia.* — 17. V.: *N. enim illum exp. o., d. h. se ad s. o.* — 21. *hic* Palat., Mediol., Long. — 22. *est.* V.: *inest.* — 25, 26. V.: *ut lib. ex populo Praetor te. in poplo.* coram populo, in concione. Non semel librarii *e* et *in* (e, i) praepositiones permiscuerunt. — 27. *astu* Reiz. V.: *astute.* — 31. *navem* pro monosyllabo est, v liquescente. „*Stratonicus* fuit quaestor Philippi regis et deinde Alexandri M., illius filii, homo praedives: quamobrem Graecis in proverbium venit, ut Latinis Crassus. Meminit Diodorus in Vita Alexandri et Aelianus in Varia Historia.“ Ita Longolius, et similiter Douza Centur. p. 503. sequ.; sed Diodorum quidem evolventi mihi atque indices editionis Dindorf. inspicienti non occurrit nomen Stratonici; Aelianus autem quem memorat Var. Hist. 14, 14., cognominis est citharista ille, *qui* sub idem tempus et arte sua inclaruit, et apopthegmatis, quorum bene multa leguntur apud Athenaeum libro 8. Quem musicum eundem esse illo quaestore, vix adducor ut credam, etsi me *non* fugiunt multorum musicorum, actorum, saltatorum et id genus

Oppida circumvectabor. Ubi nobilitas mea erit clara:
Magnum communibo oppidum; eii Gripo ego indam nomen,
Monumentum meae famae et factis; ibique regnum magnum
instituam. t. t.
Magnas res hic agito in mentem instruere: nunc hunc vi-
dulum condam.
Sed hic rex cum aceto sale est prasurus sine bono pul-
mento. i. t. h.

TRACHALIO. GRIPUS.

Tr. Heus, mane! Gr. Quid maneam? Tr. Dum hanc tibi,
quam trahis, rudentem conplico. t. t. c. IV, 3.
Gr. Mitte modo. Tr. At pol te adiuvabo: bonis quod bene
fit, haud perit. as., t. d. et i. d.
Gr. Turbida tempestas here fuit: nil habeo, adulescens,
piscium: i. t.
Ne tu mihi esse postules. i. d.
Ne vides referre me uvidum retem sine squamoso pecu? i. t.
Tr. Non edepol piscis expeto quam tui sermonis sum indigens.
Gr. Enicas iam me odio, quisquis es. Tr. Non sinam ego
hinc te abire. as., t. d. i. d. c.
Mane! Gr. Cave, sis, malo! Quid tu, malum, nam me
retrahis? Tr. Audi.
Gr. Non audio. Tr. At pol quin audies. Gr. Quin post
loquére quidvis. i. t. c.
Tr. Eho, modo operae est pretium, ego tibi quod volo narrare.
Gr. Loquere, quid id est. Tr. Vide, ne uspiam consequi-
tur prope nos. i. tr. h.

artificum fortunae ac divitiae, undique collectae, dum urbes peragrant. Quales Stratonici peregrinationes, lucri causa susceptas, ridens fortasse Comicus poëta vel aliquis, appellavit eum quaestorem Philippi atque Alexandri, quoniam similiter illorum quaestores urbes insulasque adibant, tributa colligentes. Quid, quod potest, ut ipse senior, arte relicta, quaesturam gesserit, quod ei munus, beneficii loco, detulerint reges isti facetiis eius delectati, quas tandem morte hominis ultus est Nicocles, Salaminis in Cypro tyrannus, teste Athenaeo 8, 349.

33. V.: *Opp. magnum communibo: eii ego urbi Gr. ind. n.* — 36. V.: *S. h. r. cum ac. prans. est et sale, sine b. p. Aceto,* vino acido, posca. — Act. IV, 3, 2. V.: *At p. ego te a.: nam bonis* etc. — 3. V.: *heri.* — 5. *Ne vides.* i. e. Videsne. V.: *Non vides,* quae est interpretatio minus ἐμμετρος. *retem* Priscianus p. 759. Putsch., priscae edd., Reiz. libri Plautini: *rete.* — 6. *sum* abest a Palatino et ed. vet. Mediol. — 11. V.: *Eloquere — Vide num quispiam* c. p. nos. *Elogu.* abhorret a versu. MSS. et vett. edd.: *nuspiam* pro *ne uspiam*, intellecto *aliquis*, ellipsi haud inusitata.

Gr. Ecquid est, quod mea referat? Tr. Scilicet. c. t.
Sed boni consilii ecquid in te mihi est?
Gr. Quid negoti est, modo dice. Tr. Dicam (tace),
Si fidem modo das mihi, te non fore infidum. Gr. Fidem do; t. t.
Fidus tibi ero, quisquis. Tr. Audi. t. d.
Furtum ego vidi qui faciebat; noram dominum, id quoi fiebat; t. t.
Post ad furem egomet devenio feroque ei conditionem hoc pacto. as., t. d. et i. d. h.
Istuc furtum ego scio quoi factum est: nunc mihi si vis dare dimidium, t. t.
Indicium domino non faciam. Is mihi nihil etiam respondit.
Quid? idne dari mi aequom est? Volo ut dicas. Gr. Imo hercle etiam amplius: i. t.
Nam nisi dat, domino dicundum censeo. Tr. Tuo consilio faciam. t. t.
Nunc advorte animum: namque hoc omne ad te attinet. Gr. Quid factum est?
Tr. Vidulum istunc, quoiusnam est, novi hominem ego iampridem.... Gr. Quid est? t. t. c.
Tr. Et quo pacto periit. Gr. At ego, quo pacto inventust, scio,
Et, qui invenit, hominem novi, et, dominus qui nunc est, scio.
Nihilo pol pluris tua hoc, quam quanti illud refert mea.
Ego illunc novi, quoius nunc est; tu illum, quoius antehac fuit. i. t.
Hunc homo feret a me nemo: ne tu te speres poti eius. t. t.
Tr. Non ferat, si dominus veniat? Gr. Dominus, ne frustra sies, t. t. c.
Nisi ego, nemo huic natust, hunc qui cepi venatu meo.
Tr. Itane vero? Gr. Ecquem esse dices in mari piscem meum?
Quos quom capio, si quidem cepi: mei sunt, habeo pro meis,
Nec manu adseruntur, neque illinc partem quisquam postulat;
In foro palam omnis vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certo est omnibus. Tr. Adsentio:

---

14. *dice* Reiz. V.: *dic.* — 16. V.: *quisquis es.* — 21. Ll. mendose et admissa interpretatione, quam versus arguit: *quid inde aequum est dari mihi? dimidium Volo ut d.* Lamb. minus inepte: *quid? inde aequ. est dari mihi dim.?* — 24. *quoiusnam est.* MSS.: *cuiusnest.* (Decurt.), *cuiusnest.* V.: *cuius ille est.* — 29. *poti eius.* Ll.: *potius.* — 31. V.: *in ven. meo.*

Qui minus hunc communem quaeso mi esse oportet vidulum?
In mari inventust: commune est. Gr. Nae impudenter impudens!
Nam si istuc ius sit, quod memoras: piscatores perierint:
Quippe quom extemplo in macellum pisces prolati sient:
Nemo emat, suam quisque partem piscium pascat sibi:
Dicat, in mari communi captos. Tr. Quid ais, impudens?
Ausus etiam comparare vidulum cum piscibus?
Eadem tandem res videtur? Gr. In manu non est mea;
Ubi demisi retem atque hamum: quidquid haesit, extraho.
Meum quod rete atque hami nancti sunt, meum potissumum est.
Tr. Imo hercle haud est, si quidem quod vas excepisti.
Gr. Philosophe!
Tr. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse aut protulisse ullum in forum?
Non enim tu hic quidem occupabis omnis quaestus, quos voles:
Et vietorem et piscatorem te esse, impure, postulas.
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus;
Vel, quod in mari non natum est, neque habet squamas, ne feras.
Gr. Quid tu? nunquam audivisti esse antehac vidulum piscem? Tr. Scelus, i. t.
Nullus est. Gr. Imo est profecto: ego, qui sum piscator, scio; t. t. c.
Verum raro capitur: nullus minus saepe ad terram venit.
Tr. Nil agis! dare verba speras mihi te posse, furcifer?
Quo colore est? Gr. Hoc colore capiuntur pauxilli.
Sunt alii puniceo corio, magni item, atque atro. Tr. Scio.
Tu hercle in vidulum, opinor, piscem te convertes, nisi caves:
Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo.
Gr. Quod scelus hodie hoc inveni? Tr. Verba facimus; it dies:
Vide, sis, quoius arbitratu nos vis facere. Gr. Viduli
Arbitratu. Tr. Ita? Enimvero stultus es. Gr. Salve, Thales.

---

46. *nancti* Decurt., prisce. V.: *nacti*. — 51. *vietorem*. *Viere est vincire, inflectere*, inquit Nonius. unde vimen, et vietores, qui vient, hoc est, qui vasa ex tabulis ligneis conficiunt, eaque viminibus vinciunt. Lamb. — 56. V.: *Vero*. Corr. Reiz. — 59. V.: *atri*. — 64. V.: *Ita enimvero? stultus es*. — *Thales*, ut *Philosophe* 47, i. e. homo callidissime. Ironice dicit, *stultus* appellatus a Trachalione. Bacch. 1, 2, 14. *Quam ego sapere nimis eum, plus quam Thalem, Is stultior es barbaro Poticio*. cf. Capt. 2, 2, 24. Cic. Acad. Qu. 2, 37.: *Thales, unus e Septem, cui sex reliquos concessisse primas ferunt* —. Et l. de Legg. 2, 11.: *Thales, qui sapientissimus in Septem fuit*.

Tr. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum,
Quoius haec res arbitratu fiat. Gr. Quaeso, sanus es?
Tr. Sum elleborosus. Gr. At ego cerritus; hunc non amittam tamen.
Tr. Verbum adde etiam unum: iam in cerebro colaphos abstrudam tuo!
*Ego iam hic te itidem, quasi peniculus novus exurgeri solet,
Ni hunc amittis, exurgebo, quidquid humoris tibi est!
Gr. Tange: adfligam ad terram te itidem, ut piscem soleo polypum!
Vis pugnare? Tr. Quid opust? Quin tu potius praedam divide.
Gr. Hinc tu, nisi malum, frunisci nil potes: ne postules.
Abeo ego hinc. Tr. At ego hinc obflectam navem: ne quo abeas. Mane!
Gr. Si tu proreta isti navi es: ego gubernator ero.
Mitte rudentem, sis sceleste! Tr. Mittam; omitte vidulum.
Gr. Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.
Tr. Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
Gr. Quemne ego excepi in mari.... Tr. Ast ego inspectavi e littore.
Gr. Mea opera, labore, et rete, et horia? Tr. Numqui minus,
Si veniat nunc dominus, quoius est, ego, qui inspectavi procul
Te hunc habere, fur sum, quam tu? Gr. Nihilo. Tr. Mane, mastigia:
Quo argumento socius non sum, fur sum? facdum ex te sciam.
Gr. Nescio, neque ego istas vostras leges urbanas scio,
Nisi quia hunc meum esse dico. Tr. Et ego item esse aio meum.
Gr. Mane: iam reperi rem, quo pacto nec fur nec socius sies.
Tr. Quo pacto? Gr. Sine med hinc abire; tu abi tacitus tuam viam; i. t.

---

69. Ita Reiz. V.: *penicillus*. Vox *novus* suspicionem movet, siquidem omnes peniculi exurgentur, i. e. exprimuntur, non modo novi. Vereor sane, ne Pl. dixerit *udus*, idque mutatum forte sit in *ubus*, *uvus*, *ovus* etc. Versui medearis scribendo: *quasi peniculus exurgeri udus solet*. — 75. Verbum *gub.* ultimam producit more antiquo. — 76. τῷ *sis* offecisse videtur prima syllaba verbi *sceleste*. cf. 3, 4, 113; 4, 4, 10 etc. — 84. V.: *et fur sum?*

Nec tu me quoiquam indicassis, neque ego tibi quidquam dabo. t. t. c.
Tu taceto; ego mussitabo. Hoc optumum atque aequissumum est.
Tr. Ecquid conditionis audes ferre? Gr. Iamdudum fero:
Ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies.
Tr. Mane, dum refero conditionem. Gr. Te, obsecro hercle, aufer modo.
Tr. Ecquem in his locis novisti? Gr. Oportet vicinos meos.
Tr. Ubi tu hic habitas? Gr. Porro illic longe usque in campis ultimis.
Tr. Vin', qui in hac villa habitat, eius arbitratu fieri?
Gr. Restim paulisper remitte, dum concedo et consulo.
Tr. Fiat. Gr. Euge, salva res est! praeda haec perpetua est mea:
Ad meum herum arbitrum vocat me huc intra praesepis meas.
Nunquam hercle hodie abiudicabit ab suo triobolum.
Nae iste haud scit, quam conditionem tetulit. Ibo ad arbitrum.
Tr. Quid igitur? Gr. Quanquam, istuc esse ius meum, certo scio:
Fiat istuc potius, quam nunc pugnem tecum. Tr. Nunc places.
Gr. Quanquam ad ignotum arbitrum me adpellis: si adhibebit fidem,
Etsi ignotus, notust; si non: notus ignotissumust.

DAEMONES. MULIERES. TRACHALIO. GRIPUS.

Dae. Serio edepol, quanquam vobis volo, quae voltis, mulieres, t. t. c. IV, 4.
Metuo, ne propter vos uxor mea me extrudat aedibus,
Quae me pellices adduxe dicit ante oculos suos.
Vos confugite in aram potius quam ego! Mu. Miserae periimus!
Dae. Ego vos salvas sistam. Ne timete. Sed quid vos foras
Prosequimini? Quoniam ego adsum: faciet nemo iniuriam.
Ite, inquam, domum ambo nunc iam ex praesidio, praesidio.

101. Ita Reiz. V.: *tetulerit*. — Act. IV, 1. Ita Gruterus et recentiores. Vetusti libri: *Cupio ed., qu. vobis, quae v., mul.* — 3. Ll.: *adduxisse*. Correxit Camerar. *dicit*. V.: *dicet*, quod parum est. vide 4, 1, 4, 5, 14. — 5. *Sed quid vos* etc. Lorarios appellat, quos lenoni custodes addiderat 3, 4. domum redierant, postquam Pleusidippus in ius rapuit lenonem, et nunc herum educentem mulieres, prosequuntur, praesidio illis futuri, ut antea.

Gr. O here.... Tr. Salve. Dar. Salve. — Quid fit. Tr. Tuusne hic servost? Gr. Haud pudet....? i. t.
Tr. Nihil ago tecum. Gr. Ergo abi hinc, sis. Tr. Quaeso, responde, senex: t. t. c.
Tuus hic servost? Dar. Meus est. Tr. Hem, istuc optume, quando tuust.
Herum te salute. Dar. Et ego te. Tune es, qui haud multo prius
Abiisti hinc herum arcessitum? Tr. Ego is sum. Dar. Quid nunc vis tibi?
Tr. Nempe hic tuus est? Dar. Meus est. Tr. Istuc optume, quando tuust.
Dar. Quid negoti est? Tr. Vir scelestus ille est. Dar. Quid fecit tibi
Vir scelestus? Tr. Homini ego isti talos subfringi volo.
Dar. Quid est, qua de re litigatis nunc inter vos? Tr. Eloquar. i. t.
Gr. Imo ego eloquar, ego, opinor! Tr. Enim facesse! Gr. Si quidem as., t. d. et i. d.
Sis pudicus: tu hinc facessas. Dar. Gripe, animum advorte ac tace. t. t. c.
Gr. Utn' istic prius dicat? Dar. Audi. — Loquere tu. Gr. Alienon' prius
Quam tuo dabis orationem? Tr. Ut nequitur comprimi! Ita, ut occepi dicere, illum, quem dudum tu lenonem as. ex t. d. et i. d. c.
Extrusisti, vidulum eius hic eccillum! Gr. Non habeo.
Tr. Negas, quod oculis video? Gr. At, ne videas, velim. i. s.
Habeo; non habeo. Quid tu me curas, quid rerum geram? t. t. c.
Tr. Quomodo habeas, id rei refert, iuren' anne iniuria.
Gr. Ni istam cepi: nulla causa est, quin me condemnes cruci.
Si in mari reti adprehendi: tuom qui potiust, quam meum? as., t. d. et i. d.
Tr. Verba dat: hoc modo res gesta est, ut ego dico. Gr. Quid tu ais? t. t. c.
Tr. Quod primarius vir dicat. Comprime hunc, sis, si tuust.
Gr. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi?

---

8. V.: Dar. *Salve, Gripe.* — 17. Ll.: Gr. *I. e. eloquar.* Tr. *Ego, opinor, rem facesso*, quod male tuentur. Vix dubium est, quin verba *opinor em* (enim) abierint in *opinor rem.* — 23. De hoc versu vide ann. ad Pseud. 1, 2, 54. — 25. V.: *Q. h., illud refert.* MSS. et priscae edd.: *Q. h., id ref.* haustum *rei* a re- vicino. Truc. 1, 5, 23.: *Quoi rei id te adsimulare retulit?* — 29. *Quod* vett. Lamb. et recentiores inepte: *Quoad.*

Si ille te comprimere solitus: hic nos noster non solet.
Dae. Verbo illo modo ille vicit. Quid nunc tu vis? dic mihi.
Tr. Equidem ego neque partem posco mi istinc de istoc vidulo,
Neque meum hodie esse unquam dixi; sed isti inest cistellula as., t. d. et i. d.
Huius mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam.
Dae. Nempe tu hanc dicis, quam esse aibas dudum popularem meam? t. t. c.
Tr. Admodum; et, ea quae olim parva gestavit, crepundia
Isti in ista cistula insunt, quae isti inest in vidulo.
Hoc neque isti usust, et illi miserae suppetias feret,
Si dederit, qui suos parentes quaerat. Dae. Faciam, ut det: tace.
Gr. Nihil hercle ego sum isti daturus. Tr. Nil peto, nisi cistulam
Et crepundia. Gr. Quid, si ea sunt aurea? Tr. Quid istuc tua?
Aurum auro expendetur, argentum argento exaequabitur.
Gr. Fac, sis, aurum ut videam; post ego faciam videas cistulam.
Dae. Cave malo ac tace tu. — Tu perge, ut occepisti dicere.
Tr. Unum te obsecro, ut tecum huius commiserescat mulieris,
Si quidem hic lenonis eius est vidulus, quem suspicor.
Hinc nisi de opinione certum nil dico. Gr. Viden',
Ut scelestus aucupatur? Tr. Sine me, ut occepi, loqui.
Si scelesti illius est hic, quoius dico, vidulus,
Haec poterunt novisse: ostendere his iube. Gr. Ain' ostendere?
Dae. Haud iniquom dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus,
Gr. Imo hercle insignite inique. Dae. Quidum? Gr. Quia, si ostendero,
Continuo hunc novisse dicent scilicet. Tr. Scelerum caput,
Ut tute es, item omnis censes esse, periuri caput?
Gr. Omnia ego istaec facile patior, dum hic hinc a me sentiat.
Tr. Atqui non abs te stat, verum hinc ibit testimonium.
Dae. Gripe, advorte animum. — Tu paucis expedi, quid postulas.
Tr. Dixi equidem; sed si parum intellexti: dicam denuo.

---

34. *isti* MSS., quod item 38. restituendum fuit metri gratia pro vulgato *istic*. — 40. V.: *Si id ded.* — 42. V.: *Quid, si ea s. a.*? Tr. *Q. istic t.*? Sequor Lambinum et Reizium. — 48. Sic Palat. et vett. edd. V.: *dico tibi*. — 51. *Haec* vett. V.: *Hae*. — 57. *non*. V.: *nunc*.

Haec ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.
Haec Athenis parva virgo fuit subrepta. Gr. Dic mihi: id
Ad vidulum quid pertinet, servae sint istae an liberae? i. t.
Tr. Omnia iterum vis memorari, scelus: ut defiat dies. t. t. c.
Dar. Abstine maledictis et mihi, quod rogavi, dilue.
Tr. Cistellam isti inesse oportet caudeam in isto vidulo,
Ubi sunt signa, qui parentes noscere haec possit suos,
Quibuscum parva Athenis periit, sicuti dixi prius.
Gr. Iupiter te dique perdant! Quid ais, vir venefice?
Quid? istae mutae sunt, quae pro se fabulari non queant? i. t.
Tr. Eo tacent, quia bona est mulier tacita semper quam loquens.
Gr. Tum pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es.
Tr. Quidum? Gr. Quia enim neque loquens es neque tacens unquam bonus.
Quaeso, en unquam hodie licebit mihi loqui? Dar. Si praeter hoc
Verbum verbum faxis hodie: ego tibi conminuam caput!
Tr. Ut id occepi dicere, eam, senex, te quaeso cistulam
Ut iubeas hunc reddere illis. Ob eam si quid postulat
Sibi mercedis: dabitur. Aliud quidquid ibi est, habeat sibi.
Gr. Nunc demum istuc dicis: quoniam ius meum esse intellegis;
Dudum dimidiam petebas partem. Tr. Imo etiam nunc peto.
Gr. Vidi petere milüom, etiam quom nihil auferret tamen.
Dar. Non ego te conprimere possum sine malo? Gr. Si istic tacet,
Ego tacebo; si iste loquitur, sine me mea pro re loqui.
Dar. Cedo modo istunc vidulum mihi, Gripe. Gr. Concredam tibi; i. t.
At, si istorum nil sit, ut mihi reddas. Dar. Reddetur. Gr. Tene. t. t. c.
Dar. Audi nunc tam, Palaestra atque Ampelisca, hoc, quod loquor.
Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse aiebas. Pa. Is est.

61, 62. V.: — *mihi, Quid ista ad v. pertinent.* Vetus liber Camer.: — *m. Quid ita ad* (hoc est: *id ad*) *v. pertinet.* Long.: — *m. Qu. ad vid. pertinet.* — 73. V.: — *praeterhac Verbum faxis.* — 80. V.: *sine me* (priscae edd. et Decurt.: *mea*) *pro re mea parte loqui.* Lamb.: *s. me p. re mea l.* Gronov. nota et Reiz.: *sine me meam partem l.*, ut Asin. 3, 1, 14. *Et meam partem loquendi et meam trado tibi;* et Mil. 3, 1, 49.: *Incommoditate abstinere me apud convivas commode Commemini, et meae orationis iustam partem persequi, Et meam partem itidem tacere, cum aliena est oratio.* Sed hoc loco explicantis videtur esse *parte.* cf. 104.

Gr. Perii hercle miser ego! ut, priusquam plane adspexit,
eloco i. t.
Eum esse dixit! Pa. Faciam hanc rem planam tibi. i. s.
Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo. i. t.
Ibi ego dicam, quidquid inerit, nominatim; tu mihi t. t. c.
Nullum ostenderis. Si falsa dicam: frustra dixero;
Vos tamen istaec vobis, quidquid inerit illi, habebitis.
Sed vera si erunt: tum obsecro te, ut mea mihi reddantur.
Dae. Placet: i. t.
Merum ius oras meo quidem animo hercle. Tr. Ac meo. i. s.
Gr. Quid, si ista aut superstitiosa aut hariola est atque
omnia, t. t. c.
Quidquid insit, vera dicet? anne habebit hariola?
Dae. Non feret, nisi vera dicet; nequidquam hariolabitur.
Solve vidulum ergo: ut, quid sit rerum, quamprimum sciam.
Tr. Hoc habet! Gr. Est solutum. — An perii? Pa. Video
cistellam! Dae. Haeccine est?
Pa. Istaec est. O mei parentes, hic vos conclusos gero!
Huc opesque spesque vostrûm cognoscendûm condidi!
Gr. Tum tibi hercle deos iratos esse oportet, quisquis es,
Quae parentes tam in angustum tuos locum conpegeris.
Dae. Gripe, accede huc: tua res agitur. — Tu, puella,
istinc procul
Dicito, quid insit, et, qua facie, memorato omnia.
Si hercle tantillum peccassis: quod posteriùs postules
Te convorti ad verum, nugas, mulier, magnas egeris.
Gr. Ius bonum oras. Tr. Edepol haud te orat: nam tu
iniurius.
Dae. Loquere nunc iam, puella. — Gripe, animum advorte
ac tace.
Pa. Sunt crepundia. Dae. Ecca video. Gr. Perii in primo
proelio! —
Mane! ne ostenderis! Dae. Qua facie sunt, responde ex
ordine.

---

88. V.: *Faciam ego.* Cf. ann. ad 23. — 91. *Nullum* vett. Male Gronov. et recentiores, auctore Carrione Commentar. 2, 16.: *Nullus.* — 92. *illi.* Il.: *istic*, vel *illic.* — 94. V.: — *animo.* Tr. *ac meo hercle.* Perperam et hunc versum et 88. interpolarunt. — 95. *superst.* divina, vates. cf. Amph. 1, 1, 67, Curc. 3, 17. — 98. *q. s. rerum.* V.: *quicquid sit verum.* — 99. Ll. inepte. Gr. *Hoc h.: sol. est: ah, perii* (MSS. et vett. edd.: *aperi*) *! vid. cist. Hoc habet* vox est Trachalionis, Gripo velut percusso ac victo insultantis. Vide Mostell. 3, 2, 26, Virg. Aen. 12, 295 etc. Gripus aversus et malum eventum timens: *An perii?* inquit, cum puella gaudens exclamat: *Video cistellam!* — 103. *tam in ang.* Sic Palat., Mediol., Long. V.: *in tam ang.*

PA. Ensiculast aureolus primum litteratus. DAE. Dicedum, In eo ensiculo litterarum quid est. PA. Mei nomen patris. asyn., t. d. et i. d.
Post altrinsecus est securicula ancipes, itidem aurea, t. t. c.
Litterata; ibi matris nomen in securicula est. DAE. Mane. Dic, in ensiculo quod nomen est paternum? PA. Daemones. DAE. Di inmortales, ubi loci sunt spes meae? GR. Imo edepol meae?
DAE. Perge, te obsecro, continuo! GR. Placide, aut ite in malam crucem!
DAE. Loquere, matris nomen hic quod in securicula siet. PA. Daedalis. DAE. Di me servatum cupiunt! GR. At me perditum!
DAE. Filiam hanc meam esse oportet, Gripe. GR. Sit per me quidem. —
Qui te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis, Meque adeo scelestum, qui non circumspexi centies
Prius, me ne quis inspectaret, quam rete extraxi ex aqua!
PA. Post sicilicula argenteola et duae connexae maniculae, et Suculad est... GR. Quin tu i dierecta cum suculad et cum porculis! asyn., t. d. et i. d.
PA. Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.
DAE. Ea profecto est! Contineri, quin complectar, non queo. t. t. c.
Filia mea, salve! Ego is sum, qui te produxi, pater!
Ego sum Daemones, et mater tua ecca hic intus Daedalis!
PA. Salve, mi pater insperate! DAE. Salve! Ut te amplector lubens!
TR. Volupe est, quom istuc ex pietate vostra vobis contigit.
DAE. Capedum hunc, si pote, et fer intro vidulum! age, Trachalio!
TR. Ecce Gripi scelera! — Quom istaec res male evenit tibi,
Gripe: gratulor. DAE. Age, eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quae ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere, Quia te mage tractavit magisque signa pernovit tua.

---

113. Rein.: *quid sit*. Sed indicativum usurpavit Pl. more Graecorum. vide Parei mantiss. lexici Plaut., ubi agit de enallage modi, v. Est pro Sit. — 114. *ancipes*, anceps, utrimque secans. Priscian. 3. et 6. in extr. Lamb. V.: *item*. — 116. *quod* vett. edd. V. et hic et 119.: *quid*. — 125. *sicilicula*, sicilis, cuspis, spiculum, a secando; unde etiam *sicilire*, demetere. Ceterum Palat.: *postinsicula*. vett. edd.: *Post est sicula*, neque id inepte. — 133. V.: *potes*.

Tr. Omnes intro eamus, quandoque operam promiscam damus.
Pa. Sequere me, Ampelisca. Am. Quom te di amant, voluptati est mihi.
Gr. Sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum,
Aut, quom excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?
Credebam edepol, turbulentam praedam eventuram mihi,
Quia mihi illa turbulenta tempestate evenerat.
Credo edepol, ego illic inesse auri, argenti, largiter.
Quid meliust, quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum,
Saltem tantisper, dum abscedat haec a me aegrimonia?

DAEMONES.

Proh di inmortales, quis me est fortunatior, i. s. IV, 5.
Qui ex inproviso filiam inveni meam?
Satin', si quando homini di esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis?
Ego, qui neque speravi hoc die, neque credidi,
Is inproviso filiam inveni tamen,
Et eam de genere summo adulescenti dabo
Ingenuo Atheniensi et cognato meo.
Eum ego adeo arcessi huc ad me quamprimum volo,
Iussique exire huc servom eius: ut ad forum
Iret. Nondum egressum esse eum, id miror tamen.
Accedam, opinor, ad foris. — Quid conspicor?
Uxor conplexa collo retinet filiam.
Nimis pene inepta atque odiosa eius amatio est.
Aliquando osculando meliust, uxor, pausam fieri, t. t. c.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, quom intro advenero,
Laribus familiaribus, quom nostram auxerunt familiam.
Sunt domi agni et porci sacres. Sed quid remoramini istum, as., t. d. et i. d. c.
Mulieres, Trachalionem? Atque optume, eccum, exit foras. t. t. c.

138. *promiscam* vetus liber Camerar., Acid., Reiz. V.: *promiscuam.* — 143. V.: *tam turb.* — 144. V.: *auri et arg.* — Act. IV, 5, 3. V.: *S., si quoi hom.*, numeris aegre expediendis. *oi* et *a* (*ā*, i. e. *an*) similia in libris; *-do* haustum videtur ab *ho-* simili vicino. — 5. *qui* additum a Cam. V.: *E. hodie, qui neque sp., n. cr. hoc die* ἐμφατικῶς, ut Pseud. 2, 1, 12. — 10. *servom eius* MSS., voce *serv.* non liquescente. V.: *eius s.* — 18. *sacres* prisce pro *sacri*, i. e. puri. Festus (p. 251 Lindem.): *Sacrem porcum dici ait Verrius, ubi iam a partu habetur purus.* cf. Men. 2, 2, 15, Varro R. R. 2, 1. et 4. Lamb.: Porci puri et ad sacrificandum idonei. — Iam Laribus porcos immolare solebant antiqui.

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Ubiubi erit: tam investigabo et mecum ad te adducam simul. t. t. c. IV, 6.
Pleusidippum. Dae. Eloquere, ut haec res obtigit de filia.
Eum rogato, ut linquat alias res et huc veniat. Tr. Licet.
Dae. Dicito, daturum me illi filiam uxorem.... Tr. Licet.
Dae. Et patrem eius me novisse, et mi esse cognatum.
Tr. Licet.
Dae. Sed propera. Tr. Licet. Dae. Iam hic fac sit: coena ut curetur. Tr. Licet.
Dae. Omnian' „licet?“ Tr. Licet. Sed scin', quid est, quod te volo?
Quod promisisti, ut memineris, hodie ut liber sim. Dae. Licet.
Tr. Fac, ut exores Pleusidippum! me ut emittat,... Dae. Licet.
Tr. Et tua filia facito oret. Facile exorabit. Dae. Licet.
Tr. Atque ut mi Ampelisca nubat, ubi ego sim liber,... Dae. Licet.
Tr. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. Dae. Licet.
Tr. Omnian' „licet?“ Dae. Licet: tibi rursum refero gratiam.
Sed propera ire in urbem actutum et recipe te huc rursum. Tr. Licet.
Iam hic ero. Tu interibi adorna ceterum, quod opust.
Dae. Licet.
Tr. Hercules istum infelicet cum sua licentia:
Ita meas replevit auris. Quidquid memorabam: „licet.“

GRIPUS. DAEMONES.

Gr. Quam mox licet te conpellare, Daemones? i. s. IV, 7.
Dae. Quid est negoti, Gripe? Gr. De illo vidulo,
Si sapias, sapias: habeas, quod di dant boni.

Act. IV, 6, 1. Vett.: *tamen inv.* V.: *tamen iam inv.* — 3. Sic Mediol. V.: *relinquat.* — 6. *sit.* Ll.: *sis*, quod Acid. emendavit. — 9. Frustra Cam., Lamb. et vulgo editores: *ut me emittat manu.* — 16. *Hercules.* Intelligas licet Herculem averruncum (ἀλεξίκακον), de quo Lactant. Institut. 5, 3. Aristoph. Nub. 184.: ὦ Ἡράκλεις, τοῦτί ποδαπὸν τὸ ῥῆμα; ubi vide ann. — Act. IV, 7, 3. Ita Reiz. V.: *Si sapias, sapias: habeas* (hoc omissum in Mediol. a. 1500. excusa) *quod di danunt boni.* Vett. fere: *qu. di boni danunt*, quae videtur esse correctio, sed dura. Metrici alicuius. Decurt.: *qu. di danunt dant b.*, i. e.: *qu. di dant b.*

Dae. Aequom videtur tibi, ut ego, alienum quod est,
Meum esse dicam? Gr. Quodne ego inveni in mari?
Dae. Tanto illi melius obtigit, qui perdidit;
Tuom esse nihilo magis oportet vidulum.
Gr. Isto tu es pauper, quom nimis sancte pius.
Dae. O Gripe, Gripe, in aetate hominum plurimae
Fiunt transennae, ubi decipiuntur dolis;
Atque edepol in eas plerumque esca inponitur,
Quam si quis avidus pascit escam avariter:
Decipitur in transenna avaritia sua.
Ille, qui consulte docte atque astute cavet:
Diutine uti bene licet partum bene.
Mi istaec videtur praeda praedatum irier:
Maiore ut cum dote abeat, quamde advenerit.
Egone ut, quod ad me adlatum esse alienum sciam,
Celem? Minume istuc faciet voster Daemones.
Semper sapientis hoc cavere aequissimum est,
Ne conscii sint ipsi maleficî suis.
Ego, nisi quom lusi, nil moror ullum lucrum.
Gr. Spectavi ego pridem Comicos istum ad modum
Sapienter dicta dicere atque iis plaudier,
Quom illos sapientis mores monstrabant poplo;
Sed quom inde suam quisque ibant divorsi domum:
Nullus erat illo pacto, ut illi iusserant.
Dae. Abi intro; ne molestus. Linguae tempera.
Tibi ego daturus nil sum: ne frustra sies.

---

10. „*Transenna*“, inquit Nonius, „*non ut quidam putant, transitus, sed est fenestra. Cic. de Orat. libro* 1. (35.): Nunc pete a Crasso, ut illam copiam ornamentorum suorum, quam, constructam uno in loco, quasi per transennam strictim adspeximus. *Sallust. Hist. lib.* 2.: Transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu coronam capiti imponebat.“ Sic ille. Significat igitur vox Transenna foramen; nec reiiciendam esse dixerim notionem transitus a consequente: quia transitur per foramina. In quibus videntur disposuisse laqueos, cum esca imposita, turdis avibusque capiendis, reticulato opere factos; unde Glossae apud Gronovium (Lectt. Plaut.) ad Bacch. 4, 6, 22.: *Transenna graece* κιγκλίς (cancelli). Gron. dictam putat a verbo prisco Tennere, i. e. Tendere, quasi Transtennam, quia aliquid transtenditur. Bacch. l. c.: *Nunc, ab transenna hic turdus lumbricum petit. Pendebit hodie pulcre: ita intendi tenus.* — 12. *pascit* pro *poscit* Rich. Thomson. apud Taubmannum, Reiz. — 14. *Ille* (Ill'). v. ann. ad Pseud. 2, 1, 16. — 17. *Quamde* pro *Quam* dixerunt veteres, ut Simulde pro Simul; v. Epid. 64, Lucret. 1, 641, Festus (p. 133 et 221 Lindem.). — 19. *voster* Iunt., Ald., Longol. V.: *noster.* — 21. Ita Reiz., auctore Gul. Quaest. in Rud. 4. V.: *maleficiis.* Long.: *maleficii sui.* — 22. V.: *E. mihi cum lusi.* — 29. V.: *ne tu fr. sis.* Correxit Acid.

Gr. At ego deos quaeso, ut, quidquid ille in vidulo est,
Si aurum, si argentum est, omne id ut fiat cinis. —
Dae. Illuc est, quod nos nequam servis ntimur.
Nam illic cum servo si quo congressus feret:
Et ipsum sese et illum furti adstringeret,
Dum praedam habere se censeret, interim
Praeda ipsus esset, praeda praedam duceret.
Nunc hinc introibo et sacrificabo; postibi
Iubebo nobis coenam continuo coqui.

PLEUSIDIPPUS. TRACHALIO.

Pl. Iterum mi istaec omnia itera, mi anime, mi Trachalio, t. t. c. IV, 8.
Mi liberte, mi patrone, imo potius mi pater!
Reperit patrem Palaestra suom atque matrem? Tr. Reperit.
Pl. Et populatis est? Tr. Opino. Pl. Et mihi nuptura est? Tr. Suspicor.
Pl. Censen', hodie despondebit eam mihi, quaeso? Tr. Censeo.
Pl. Quid? patri etiam gratulabor, quom illam invenit? Tr. Censeo.
*Pl. Quid? matri eius? Tr. Censeo. Pl. Quid ergo censes? Tr. Quid rogas?
*Censeo. Pl. Dic ergo, quanti censes? Tr. Egone? Censeo.

Act. IV, 8, 4. V.: *Opinor.* — 7, 8. Inepte Pleus. quaerit: *Quid ergo censes?* cum servus dixerit, quid censeat, scil. gratulandum esse matri. Nec recte Trachalio hero quaerenti *Quanti censes?* simpliciter respondet *Censeo.* Sunt haec haud dubie depravata; quae fortasse restituas scribendo: *Quid? servo censes! — Dic, quanti censes ea?* Tr. *Egone? Omne censeo.* Gaudio exultans adolescens etiam servo Gripo vult gratulari, qui vidulum invenerit. Cui Trachalio assentiens: *Quid rogas? Censeo.* Nam ita scribendum esse intelleximus, nec feredam codicum scripturam *Quod rogas, censeo.* Per iocum vero Pleus. quaerit, quanti Trach. censeat ea, de quibus illum interrogavit, quasi agatur de argento censendo, cum aera examinantur, an digna sint, quae accipiantur atque subscribantur. Et servus: *Omne censeo,* inquit, i. e. Haec omnia esse censeo, quae facias, praeterea nihil: nam id satis erit. Cui responsioni congruunt ista, quae sequuntur: *At sume quidem, ne censionem semper facias,* quae sic interpretatur Gronov.: „Cum toties dixisset servus *Censeo: Sume tandem,* inquit herus: summam fac. Satis censuisti, vel dispunxisti rationem.“ Quod attinet ad mutatam a me vocem *ergo* et insertum *Omne* post et *Egone,* non desunt exempla g et e sive v litterarum commutatarum in scriptura aevi medii, cum ductus *rotundus* g inferior forte evanuit aut neglectus est a librariis: velut apud Silium 3, 662. *nivais* male legitur pro *nigris,* et 16, 53. *laeva* pro *longa.* *Egonecne* autem facile mutatum fuerit in *Egone, Egone.*

Pl. At same quidem: me censionem semper facias. Tr. Censeo. i. t.
Pl. Quid, si curram? Tr. Censeo. Pl. An sic potius placide? Tr. Censeo. t. t. c.
Pl. Etiamne eam adveniens salutem? Tr. Censeo. Pl. Etiam patrem? i. t.
Tr. Censeo. Pl. Post eius matrem? Tr. Censeo. Pl. Quid postea? t. t. c.
Etiamne adveniens complectar eius patrem? Tr. Non censeo.
Pl. Quid matrem? Tr. Non censeo. Pl. Quid eampse illanc? Tr. Non censeo.
Pl. Perii, delectum dimisit! nunc non censet, quom volo.
Tr. Sanus non es. Sequere. Pl. Duc me, mi patrone, quo lubet.

LABRAX.

Quis me mortalis miserior qui vivat alter hodie, i. t. c. V, 1.
Quem ad recuperatores modo damnavit Pleusidippus?
Abiudicata a me modo est Palaestra. Perditus sum!
Nam lenones ex gaudio credo esse procreatos:
Ita omnes mortales, si quid est mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quae mea est, visam huc in Veneris fanum:
Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

GRIPUS. LABRAX.

Gr. Nunquam edepol hodie ad vesperam Gripum inspicietis vivom, i. t. c. V, 2.
Nisi vidulus mihi redditur. La. Perii, quom mentionem
Fieri audio usquam viduli, quasi palo pectus tundor.
Gr. Istic scelestus liber est; ego, qui in mari prehendi
Rete atque excepi vidulum, ei dare negatis quidquam.
La. Proh di immortales, suo mihi hic sermone arrexit auris!
Gr. Cubitum hercle longis litteris signabo iam usquequaque:
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,

---

15. *delectum.* cf. Pseud. 1, 3, 163. — Act. V, 1, 1. V.: Q. me est *mortalium mis.* Delevi copulam, ut plene exaudiretur pronomen. Reiz.: *mortalis.* — 2. *recuperatores.* iudices de re pecuniaria aut possessione recuperanda, dati a Praetore e Centumviris. cf. Bacch. 2, 3, 36—38., Ernest. Clav. Cic. h. v. — 5. *omnes* priore syllaba correpta, ut Aul. 4, 1, 20., Mil. 1, 1, 55. et alias. — Act. V, 2, 4. *Istic* Decurt. V.: *Illic.*

Ad Gripum ut veniat. Non feretis istum, ut postulatis!
LA. Meum hercle illic homo vidulum scit qui habet, ut ego opinor!
Adeundus mi illic est homo. Di, quaeso, subvenite!
GR. Quid me intro revocas? Hoc volo hic ante ostium extergere:
Nam hoc quidem pol e robigine, non est e ferro factum:
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit. —
Nam hoc quidem venenatum est verum: tam in manibus consenescit.
LA. Adulescens, salve. GR. Di te ament cum raso capite.
LA. Quid fit?
GR. Verum extergetur. LA. Ut vales? GR. Quid tu? num medicus, quaeso, es?
LA. Imo edepol una littera plus sum quam medicus. GR. Tun tu
Mendicus es? LA. Tetigisti acu. GR. Videtur digna forma.
Sed quid tibi est? LA. Hac proxuma nocte in mari clavi.
Confracta est navis: perdidi, quidquid erat, miser ibi omne.
GR. Quid perdidisti? LA. Vidulum cum auro atque argento multo.
GR. Ecquid meministi, in vidulo, qui periit, quid ibi infuerit?
LA. Quid refert, qui periit tamen, si nunc hoc fabulemur?
GR. Quid, si ego sciam, qui invenerit? Volo ex te scire signa.
LA. Numi octingenti aurei in marsupio infuerunt.
Praeterea centum Philippeae minae in pasceolo seorsus.

---

13. *detergeo.* defrico, polio. — 15. *venenatum.* Fascinatum (behext). Ridicule veru fascinatum esse ait propterea, quod tandem multum terendo consenescit, h. e. colore suo naturali, qui et ferri et senum est, apparet. Ll. vett.: *Nam quidem hoc venatust*, vel *venatu'st verum.* Recentiores male: *N. q. h. Vere natum est v.* quae dudum emendarunt viri docti. Praeterea ll.: — *verum: ita in man. cons.*, corrupto metro: nam admittitur quidem 4. sede iambi tetram. catal. pyrrhichius, velut hic 13. et 32., sed nunquam duobus verbis divisus *(verum: i-).* igitur *verumita* natum fuerit ex *verumtā.* — 16. *raso* excudi iussimus pro *inraso* vel *irraso*, quae videtur esse correctio eius, qui meminisset versus 1, 2, 37., ubi leno dicitur *crispus*, sicut revera crispam comam et barbam habet persona Sannionis in Terentio Vaticano. Sed nunc leno caput rasit, sive ob luctum, sive, ut placet Longolio, in signum liberationis e naufragio, more antiquorum. — 24. V.: *Q. r., q. periit?* GR. *tamen si non hoc, aliud fab.* postquam scribi coepit *non*, addiderunt *aliud*, quod sententia poscere videretur. — 26. *Numus aureus* valebat 2 drachmas auri; aequabat autem pretio drachma seu denarius auri 10 drachmas argenti. — 27. Vett.: *mna philippia.* Iunt., Ald., Longol.: *mnae*

Gr. Magna hercle praeda est! largiter mercedis indipiscar!
Di homines respiciunt. Bene, bene, bene ego hinc praedatus ibo!
Profecto est huius vidulus. Perge alia tu expedire.
La. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumena;
Praeterea sinus, cantharus, epichysis, gaulus, cyathus.
Gr. Papae, divitias tu quidem habuisti luculentas!
La. Miserum istuc verbum et pessumum est Habuisse et nihil habere.
Gr. Quid dare velis, qui istaec tibi investiget indicetque?
Eloquere propere, celeriter. La. Numos trecentos. Gr. Tricas!
La. Quadringentos. Gr. Tramas putridas! La. Quingentos. Gr. Cassam glandem!
La. Sexcentos. Gr. Curculiunculos minutos fabulare.

Philippicae. Nonius: „*Pasceolus, ex aluta sacculus. Plautus Rudente:* Praeterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsum.“ — Imperite *minas* dixit *denaria*, i. e. denarios, quod vocabulum ne versus quidem capit. Propagarunt tamen scripturam Lamb. et recentiores usque ad Reizium, quem nos secuti sumus. *Ph. minae.* Philippi regis Macedonum, qui genuit Alexandrum M. — 29. *Bene, bene, bene.* repetitio verbi emphatica. cf. 1, 2, 80, Curc. 2, 2, 26, Aristoph. Av. 1122, 23. ed. Invernizz. — 31. *commodum.* integrum, iusti ponderis. vide Mercat. 2, 3, 101, Non. v. Commodum. Gronov. ad Cist. 2, 2, 19.: „*Talentum magnum* est talentum Atticum 60 minarum, quod sic appellarunt Romani, quia erat aliud talentum Neapolitanum, Rheginum, Siculum, parvae summae. vid. de Pecun. vet. 3, 3.“ — 32. Nonius: *Sinum* (idem est *Sinus*, utrumque priore longa) *et Galeola, vasa sinuosa.* Varroni de L. L. 4, 26. est *Vas vinarium grandius. cantharus*, vas potorium, ansatum, ex argilla, vel lapide, vel metallo. Fere capax fuit: unde *gravem* Sileni *cantharum* dixit Virg. Eclog. 6, 17; sed Maecenati *modicos cantharos* vini Sabini promittit Flaccus Od. 1, 20. Longol.: „*Epichysis* (infundibulum) extat apud Athenaeum. (4, 142, d., ubi commemorat Cleomenis coenantis epichysin aeneam.) vas erat augusto ore, e quo in crateras vinum fundere solebant. *Gaulus* autem genus cadi est. Sunt, qui ollae speciem asserant; alii pastorale quoddam vas, in quo lac conservatur, quomodo a Callimacho usurpatur. (cf. Hom. Odyss. 9, 223.) Graecorum lexica exponunt navigium Phoenicium: unde gaulicae pecuniae dictae, quae inde colliguntur. (γαῦλος navis, γαυλὸς vas: v. Creuzer. ad Herodot. 3, 136.) Hesychius praeterea docet, genus esse vasis, quo sentina e navi exhauritur.“ Perperam ll. *i cyathusque.* — 36. *tricas.* v. ann. ad versum sequ. — 37. *tricas, tramas putridas, cassam glandem* et *curculiones* dixit pro nugis seu rebus nullius pretii. Nonius: *Tricae sunt impedimenta et implicationes, — dictae quasi τρίχες, quod pullos gallinaceos involant et impediant capilli pedibus implicati* etc. *Tramae* sunt fila, stamina.

LA. Dabo septingentos. GR. Os calet tibi: nunc id frigefactas.
LA. Mille dabo numos. GR. Somnias. LA. Nihil addo: abi.
GR. Igitur audi.
Si hercle abiero hinc: hic non ero. LA. Vin' centum et mille? GR. Dormis.
LA. Eloquere, quantum postules. GR. Quo nihil invitus addas:
Talentum magnum. Non potest triobolum hinc abesse.
Proin tu vel, aias, vel neges. LA. Quid istic? Necessum est, video:
Dabitur talentum. GR. Accededum huc: Venus haec volo arroget te.
LA. Quod tibi lubet, id mihi impera. GR. Tange aram hanc Veneris. LA. Tango.
GR. Per Venerem hanc iurandum est tibi. LA. Quid iurem? GR. Quod iubebo.
LA. Praei verbis quidvis. Quod domi est, nunquam ulli supplicabo.
GR. Tene aram hanc. LA. Teneo. GR. Deiera, te argentum mihi daturum
Eodem die, ubi viduli sies potitus. LA. Fiat.
GR. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi.... i. s.
LA. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi....
GR. Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi....
LA. Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi....
GR. Cum auro atque argento salvom investigavero....
LA. Cum auro atque argento salvom investigavero....
GR. Sique in potestatem is meam pervenerit....
LA. Isque potestatem in meam pervenerit....
GR. Tum ego huiic, Gripo dico, inque et me tangito....
LA. Tum ego huiic, Gripo dico: Venus, ut tu audias....
GR. Talentum argenti magnum continuo dabo.
LA. Talentum argenti magnum continuo dabo.
GR. Sed si fraudassis: dic, ut in quaestu tuo

---

44. *Quid istic?* formula aegre concedendi. cf. Trin. 2, 4, 172, Terent. Andr. 3, 3, 4. etc. — 45. In stipulatione stipulator rogat, adstipulator *arrogat*, i. e. iuraturo voce praeit. adstipulatoris vice nunc erit Venus, cuius ad aram pactum conventum initur. *E Turnebi Adversariis.* Veteres et precantes, et iusiurandum praestaturi tangebant aras. — 48. *Quod domi est*, cuius mihi, lenoni, copia est, iurandi et peierandi. Id non alibi [illegible]um sibi esse ait, nemiaique de eo supplicandum. cf. 1, [illegible], 12; 5, 3, 16—19, 29 seqq. LL.: *Id quod d. est.* — [illegible]*eiera.* V.: *Deiura.* — 50. V.: *E. d., vid. ubi sis p.* — *T. e. huic, Gr. d., inquito* —. LA. *T. e. huic* etc.

Venus eradicet caput atque aetatem tuam. —
Tecum hoc habeto tamen, ubi iuraveris.
La. Illa ego advorsum si quid peccasse, Venus:
Veneror te, ut omnes miseri lenones sient.
Gr. Fiet tamen, etsi tu fidem servaveris.
Tu hic opperire: iam ego faxo exibit senex:
Eum tu continuo vidulum reposcito.
La. Si maxume illum mihi reddiderit vidulum:
Non illi ego hodie debeo triobolum:
Meus arbitratust, lingua quod iuret mea.
Sed conticescam: eccum exit et ducit senem.

GRIPUS. DAEMONES. LABRAX.

Gr. Sequere hac. Ubi istic leno est? — Heus, tu! hem tibi: hic habet vidulum. i. t. V, 3.
Dae. Habeo et fateor esse apud me; et, si tuos est, habeas tibi. t. t. c.
Omnia, ut quidquid infuere, ita salva sistentur tibi.
Tene, si tuost. La. O di inmortales, meus est! Salve, vidule! i. t.
Dae. Tuosne est? La. Rogitas? Si quidem hercle Iovis fuit: meus est tamen.
Dae. Omnia insunt salva; una istinc cistella excepta est modo t. t. c.
Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.
La. Quam? Dae. Tua quae fuit Palaestra, ea filia inventa est mea.
La. Bene mehercle factum est! Quom istaec res tibi ex sententia
Pulcre evenit: gaudeo. Dae. Istuc facile — non credo tibi.
La. Imo hercle, ut scias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis: condono te. Dae. Benigne edepol facis.
La. Imo tu quidem hercle verod. Gr. Heus, tu, iam habes vidulum?
La. Habeo. Gr. Propera.... La. Quid properabo? Gr. Reddere argentum mihi!

64. Ll. mendose: *ut te in q. t.* Acid. correxit. — 65. *hoc.* malum, quo velut eradiceris. Secum haec Gripus. — 66. Vett.: *Illa negat vorsum*, d et u confusis ut alias non ita raro. V.: *Et illum ego adv.* — 70. His dictis Gripus introit ad Daemonem. — 73. Meum est arbitrari, lingua quod iuret mea; in arbitrio meo meaque potestate positum est, quidquid lingua mea iurat; possumque id praestare, aut non praestare. Lamb. — Act. V, 3, 13. *iam* vett. V.: *iamne.*

LA. Neque edepol tibi do, neque quidquam debeo. GR. Qu
haec factio est?
Non debes? LA. Non hercle vero. GR. Non tu iurat
mihi es?
LA. Iuratus sum, et iurabo nunc, si quid voluptati e
mihi. i. t.
Iusiurandum rei servandae, non perdundae, conditum es
t. t. c.
GR. Cedo, sis, mihi talentum magnum argenti, periuri
sume! i. t.
DAE. Gripe, quod tu istunc talentum poscis? GR. Iuratu
mihi t. t. c.
Dare. LA. Lubet iurare. Tun' meo pontifex periurio es
DAE. Qua pro re argentum promisit hic tibi? GR. Si vi
dulum
Hunc redegissem in potestatem eius, iuratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LA. Cedo, quicum habea
iudicem, asyn., t. d. et i.
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiamdum siem t. t.
Quinque et viginti annos natus. GR. Habe cum hoc. LA. Alio
est opus.
DAE. Iam abis? Te auferre haud sinam, nisi istum con
demnavero.
Promisistin' huic argentum? LA. Intueor. DAE. Quod servo
meo
Promisisti, meum esse oportet: ne tu, leno, postules,
Te hic fide lenonia uti. Non potes. GR. Iam te ratus
Nactum hominem, quem defraudares? Dandum huc argen-
tum est probum.

---

21. *Tun' m. p. p. es?* hanc habet sententiam: Tibine ob id, tanquam pontifici, debetur sacramentum, i. e. pecunia, quae deponebatur apud pontificem ab illis, qui de aliqua re apud iudicem contendebant; victus perdebat suam, victor recipiebat. *E Gronovii ann. ad h. l.* cf. P. Pithoei Advers. subsec. 1, 18. (Gruteri Lamp. 2. p. 766.) et, quem laudat, Varronem de L. L. l. 4. Velut deposuit leno illam pecuniam (Succumbenzgeld), cum iuravit, se talentum Gripo daturum esse. — 25. *nive — natus.* vid. ann. ad Pseud. 1, 3, 74. — 27. Mendose ll.: *Iam ab isto auf. h. s.* cf. 2, 7, 26; Poen. 3, 3, 65; Stich. 2, 51. Vetat Daemones abire lenonem, ut alium iudicem quaerat, quod se facturum esse simulat. — 28. *Intueor.* ita Decurtatus, quem inspexi. Vetus liber Camerarii: *Inteor.* vulgo: *Fateor*, quae videtur esse emendatio verbi, quod ineptum putaverit corrector. Potest tamen sic explicari τὸ *Intueor:* mecum reputo, an ei promiserim. Vel legendum est: *Id tueor;* defendo argentum meum, nec illi dabo. d et n litterae confusae Pseud. 1, 3, 6, 13. et alias haud semel.

Id ego continuo huic dabo adeo: me ut hic emittat manu.
Dae. Quando ergo erga te benignus fui atque haec opera mea
Sunt tibi servata.... Gr. Imo hercle mea: ne tu dicas tua. asyn., t. d. et i. d.
Dae. Si sapies: tacebis. — Iam te mihi benigne itidem addecet t. t. c.
Bene merenti bene referre gratiam. La. Nempe pro meo lure oras? Dae. Mirum, quin tuom ius meo periclo abs te expetam. i. t.
Gr. Salves sum: leno labascit; libertas portenditur! t. t. c.
Dae. Vidulum istunc ille invenit; illud mancipium est meum;
Ego tibi hunc porro servavi magna cum pecunia.
La. Gratiam habeo et de talento nulla causa est, quin feras,
Quod isti sum iuratus. Gr. Heus tu, mihi dato ergo, si sapis. i. t.
Dae. Tacen', an non? Gr. Tu meam rem simulas agere, tibi.... Dae. Mutti modo! t. t. c.
Gr. Non hercle istoc me intervortes, si aliam praedam perdidi.
Dae. Vapulabis, verbum si addes unum istuc! Gr. Vel tu hercle enica! as., t. d. et i. d.
Non tacebo unquam alio pacto, nisi talento conprimor. t. t. c.
Dae. Tibi operam hic quidem dat: taceto. — Concede huc leno. La. Licet.
Gr. Palam age! nolo, murmurillum neque susurrum fieri.
Dae. Dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam
Ampeliscam? La. Mille numum denumeravi. Dae. Vin' tibi
Conditionem luculentam ferre me? La. Sane volo.
Dae. Dividuom talentum faciam. La. Bene facis. Dae. Pro illa altera,
Libera ut sit, dimidium tibi sume; dimidium huic cedo.
La. Maxume. Dae. Pro illo dimidio Gripum ego emittam manu,
Quem propter tu vidulum et ego natam inveni. La. Bene facis:

---

33. V.: *fui*. — 35. *Iam*. ll.: *Tum*. — 39. *istunc*. ll. soloece: *istic ille*. correxit Douza. — 43. V.: *agere tibi mu*, quae manea alii aliter supplevere. — 48. *hic*. ego. Gripo studere et rem eius agere se dicit Daemones. — 49. *murmurillum*. Palatini scriptura et Nonii h. v. V.: *murmur ullum*. — 51. *numum*. sic liber vetus Cam. V.: *nummos*. — 52. *facis* Reiz. V.: *facias*.

Gratiam habeo magnam. Gr. Quam mox mi argentum ergo redditur?
Dae. Res soluta est, Gripe: ego habeo hercle. Gr. At ego me mavolo.
Dae. Nihil hercle hic tibi est: ne speres. Iurisiurandi volo
Gratiam facias. Gr. Perii hercle! nisi me suspendo: occidi!
Nunquam hercle iterum defraudabis me quidem post hunc diem.
Dae. Hic hodie coenato, leno. La. Fiat; conditio placet.
Dae. Sequimini intro. — Spectatores, vos quoque ad coenam vocem,
Ni daturus nil sim neque sit quidquam pollucti domi,
Nive adeo vocatos credam vos esse ad coenam foras.
Verum si voletis plausum fabulae huic clarum dare:
Comissatum omnes venitote ad me ad annos sedecim.
Vos hodie hic coenatote ambo. La. Fiat. Dae. Iam plausum date.

---

58. V.: — *habeo.* Gr. *hercle, at ego me m.* — 59. V.: *ne tu sp.* — 64. *polluctum*, quod est genus sacrificii, lautas epulas dicit *μεταφορικῶς*. cf. 2, 4, 11. — 68. *Iam*, ut *Nunc* Asinaria, Captivis, Casina, Cistellaria, Menaechmis, Penulo extremis. Offecerit verbo *-iat* simile, quod antecedit.

TRUCULENTUS.

DRAMATIS PERSONAE.

DINARCHUS.
PHRONESIUM.
GETA.
CALLICLES.
ASTAPHIUM.
STRATYLLAX.
STRATOPHANES.
STRABAX.
ANCILLAE.
TONSTRIX.

ARGUMENTUM.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem, *i. e.*
Rure unus, alter urbe, peregre tertius;
Utque ista ingenti militem tangat bolo,
Clam supposivit sibi clandestino editum.
Vi magna servos est ac trucibus moribus:
Lupae ne rapiant domini parsimoniam;
Et is tamen mollitur. Miles advenit,
Natique causa dat propensa munera.
Tandem cognoscit omnia compressae pater;
Utque illam ducat, qui vitiarat, convenit;
Suumque is repetit a meretrice subditum.

ARGUMENTUM CAMERARII, omissis quibusdam minus necessariis.

Meretrix quaedam callida, et famulitio atque rebus omnibus ad fallacias et fraudes instructa, pellicit in amorem sui tres adolescentes: unum Urbanum, quem celeriter conficit; alterum Rusticum, qui profusus est

Argumenti v. 4. vett.: *supposuit.* recte Lamb. et Parens 1. ed.: *supposivit*, quemadmodum scriptor horum argumentorum solet imitari sermonem Plauti. vide ann. ad Truc. argum. 4.

in dando; tertium Militem, cuius stoliditate abuti cupiens, simulat, se ex ipso esse gravidam; et hoc persuadet credulo: ut enim hoc genus fastuosum, ita et stolidum est. Erat Rustico servus immitis et cui doleret, corrumpi filium herilem; sed et ille tamen mutatur et desinit esse saevus seu truculentus: nam hinc nomen fabulae inditum est. Ut autem minus simplex argumentum esset, inseritur et Virginis stuprum, compressae per vim ab Urbano; quae cum filiolum peperisset, hunc meretrix sibi supposuit, allatum a tonstrice. Ac re palam facta, virgo Urbano nubit; meretrix autem retinet par amatorum, Rusticum ac Militem, et in ludificando ac despoliando Milite delicias facit.

PROLOGUS.

Perparvam partem postulat Plautus loci i. s.
De vostris magnis atque amoenis moenibus,
Athenas quo sine arcis pletis conferat.
Quid nunc? daturin' estis, an non? — Adnuont.
Meditor quidem vobis me ablaturum sine mora.
Quid, si de vostro quidpiam mi orem? — Abnuont.
Enim hercle in vobis resident mores pristini,
Ad denegandum ut celeri lingua utamini.
Sed hoc agamus, qua huc est ventum gratia.
Athenas tractod, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper dum transigimus hanc comoediam.
Hic habitat mulier, nomine quae est Phronesium;
Haec huius secli mores in se possidet:
Nunquam ab amatore postulat suo id, quod datum est;
Sed reliquom dat operam ne sit reliquom
Poscendo atque auferendo, ut mos est mulierum:
Nam omnes id faciunt, quom se amari intellegunt.
Ea se peperisse puerum simulat militi:
Quo citius rem ab eo aufert cum pulvisculo.
Quid multa? Vita sid huic superet mulieri,
Hisce anima adeo cum habentia exterebrabitur.
* * * * * * * * * *

Vers. 3. vett.: *sine arcus pletis*, vel *peltis;* vulgo, secundum Cam., *s. architectis. Pleo* veteres dixere pro Impleo, v. Festus (p. 126 Lindem.) Lucret. 2, 631.: *sanguine pleti.* Ridicule locum postulat, quo urbem Athenarum conferat sine arcis impletis aedium, templorum, gymnasiorum eius; quae est descriptio συνοπτική. — 5. V.: *equidem.* — 7. *Enim.* MSS.: *Eum.* V.: *En mehercle.* — 10. Vett.: *Athenis. ita — prosc.* ita ut comparatum est, ex ratione huius proscenii, quod ostendit partem Athenarum. — 15. Cam. *S. reliquom.* V.: *S. reliquam.* — 19. Ll.: *auferat.* — 20, 21. Liber antiquus Camerarii: *qu. m. stuic* (i. e. siuic, si huic) *sup. muliere hiscum cum anima ad eum habenti erceteritur.* similiter Decurt. et priscae edd., nisi quod in hisce legitur: *habenti euorterit.* Cam. et vulgo edd.: *Q. m.? aetas huic si sup. mul., Is cum anima ad eam habentiam everrerit.*

DINARCHUS.

Non omnis aetas ad perdiscendum sat est i. s. I, 1.
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis;
Neque eam rationem eapse unquam edoceat Venus,
Quam penes amantum summa summarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis,
Quot illic blanditiae, illic iracundiae
Sunt! quae sunt perclamanda, di vostram fidem! hui,
Quid periurandum est etiam, praeter munera!
Primodum merces annua; is primus bolust.
Ob eam tres noctes dantur. Interea loci
Ad aera, aut vinum, aut olivom, aut triticum
Tentat, benignusne an bonae frugi sies.
Quasi in piscinam rete qui iaculum parat,
(Quando abiit rete pessum: adducit sinum;
Si inretit rete piscis: ne ecfugiant, cavet,
Tumque hic, tumque illic, inretitos inpedit
Piscis usque adeo, donicum eduxit foras:)
Itidem est amator. Si id, quod oratur, dedit
Atque est benignus potius quam frugi bonae:
Adduntur noctes. Interim ille hamum vorat.
Si semel amoris poculum accepit meri,
Eaque intra pectus se penetravit potio:
Extemplo et ipsus periit, et res, et fides.
Si iratum est scortum forte amatori suo:
Bis perit amator, ab re atque animo simul;
Sin potius alterum altero est, itidem perit:
Si raras noctis ducit, ab animo perit;
Sin increbravit, ipsus gaudet, res perit.
Quasi apotheca est in aedibus lenoniis:
Priusquam unum dederis, centum, quae pascat, parat:

Act. I, 1, 7. V.: *quot illic irac.* — 8. Pal.: *sunt quot sui perclamanda.* vetus liber Camerar.: *s. quid sui perclamanda.* vett. edd.: *quot sunt perclamanda.* — 10. *merces* Gron. V.: *miros.* solebant meretrices in annum conduci. v. Asin. 4, 1, 6—9; inferius 1, 5, 40—42 etc. — 11. *dantur.* Vet. cod. Cam.: *dutor.* V.: *utor.* — 12. V.: *oleum.* — 15. Sic vett. V.: *tum adducit.* — 16. Pal. *sinietit.* V.: *Sin iecit.* — 17. Pal.: *dum huc dum illuc rete or imp.* V.: *D. h. d. i. reti eos imp.* Ios. Scal.: *Tum hic, tum illic inretitos imp.* — 19. *Si.* V.: *Sed.* — 22. V.: *mere.* — 26. *perit* Gul. et alii. V.: *periit.* — 27. Palat.: *Sin aliter alteri potius est idem p.* V.: *Sin alter a. potior* etc. — 30. Vetus l. Cam.: . . . *teca in aed. lenosis.* Decurt. et primae edd.: *ita et in a. lenosia.* Cam. et vulgo edd.: *Ita disciplina in a. est lenonia.*

Aut periit aurum, aut consecissa pallula est,
Aut emta ancilla; aut aliquod vasum argenteum,
Aut vasum aliquod ahenum, aut lectus dapsilis,
Aut armariola graeca, aut aliquid semper est,
Quod patret debeatque amans scorto suo.
Atque haec celamus damna nos industria,
Quom rem, fidemque, nosque nosmet perdimus,
Ne quid parentes neu cognati sentiant;
Quos, quom celamus, si faximus conscios,
Qui nostrae aetati tempestivo temperent,
Unde anteparta demus postpartoribus:
Faxim lenonum et scortorum ut pauset manus,
Et minus damnosorum hominum, quam nunc sunt, siet:
Nam nunc lenonum est et scortorum plus fere
Quam olim muscarum, quom caletur maxume.
Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorta et lenones quasi sedent quotidie.
Ea nimia est ratio: quippe qui certo scio,
Aeri plus scortorum esse iam quam ponderum.
Quos quidem quamnam ad rem dicam in argentariis
Referre haberi, nisi pro tabulis, nescio,
Ubi aera perscribantur usuraria
(Accepta dico: expensa ne qui censeat).
Postremo magno in populo, multis hominibus,
Re placida atque otiosa, victis hostibus,
Amare oportet omnis, qui, quod dent, habent.
Nam mi istaec meretrix, quae hic habet, Phronesium
Suom nomen omne ex pectore ecmovit meo.
[Phronesium, nam Phronesis est sapientia.]
Nam me fuisse huic fateor summum atque intumum;
Quod amantis multo pessumum est pecuniae.
Eadem, postquam alium reperit, qui plus daret,

---

32. V.: *Aut aurum periit.* sequor vett. — 36. *patret.* Scripti: *petra.* V.: *pereat.* — 37. V.: *A. h. c. damna una* (MSS.: *dammina*) *ind.* — 42. *postpartoribus*, qui post nos pariant sive acquirant bona, heredibus. Vox propria, ni fallor, Plauto. — 43. Vett.: *F. l. et sc. plus est et minus*, in quibus *et* videtur esse emendatio τοῦ *est.* V.: *ut plus est, minus. manus*, exercitus. cf. Amph. 1, 1, 80. et de verbo *pauset* Trin. 1, 2, 150. Asin. 3, 2, 8: *Eas nunc legiones copias exercitusque furum.* Similes sunt in codd. a, d et l litterae, nec raro a in i, et i in a, mutatum deprehendas. — 52. Ll.: *habere.* — 54. Acidalii emendatio. ll.: *Accipiat dico* (recentiores: *illico*) *exp., neque cens.* — 58. *istaec.* V.: *haec.* — 60. Glossema hoc esse intellexit G. Canter. Nov. Lectt. 7, 10.

Damnosiorem, me exinde amovit loco,
Quem manifesto odium sibi esse memorabat mala,
Babyloniensem militem. Is nunc dicitur
Venturus peregre. Eo nunc commenta est dolum:
Peperisse simulat sese. Ut me extrudat foras,
Atque ut cum solo pergraecetur milite:
Eo esse simulat militem puero patrem;
Eo isti opus suppositum puerum pessumae.
Mihi verba retur dare sese! An me censuit
Celare se potesse, gravida si foret?
Nam ego Lemno advenio Athenas nudius tertius,
Legatus quo hinc cum publico imperio fui.
Sed haec quis mulier? Astaphium est ancillula.
Cum ea quoque etiam mihi fuit commercium.

ASTAPHIUM. DINARCHUS.

A. Ad foris auscultato atque adserva has aedis: as. 2 ith. l, 2.
Ne qui adventor gravior abeat, quamde adveniat,
Neu manus qui attulerit sterilis ad nos intro,
Gravidas fosas exportet. Novi ego hominum mores:
Ita nunc adulescentes sunt morati. Quippe,
Ut semel adveniunt ad scorta congerrones:
Consulta sunt consilia. Quando intro advenerunt: i. tr. h.
Unus eorum aliquis osculum amicae usque oggerit. i. s.
Dum ille agitat: ceteri sunt cleptae. i. d. h.
Sin vident quempiam se adservare: obludunt, as., cr. d. et ith.
Qui custodes oblectent per ioculum et ludum.
Saepe de nostro edunt, quod fartores faciunt.
Fit pol hoc, et pars spectatorum scitis, haec nos haud mentiri. t. t.
Ibi est ibus pugnae et virtuti, de praedonibus praedam capere. b. s.

---

65. Scripti: *qui manifesta ac odiosum.* V.: *Quem infestum ac odiosum.* cf. 1, 2, 110. — 66. de militibus scenicis v. ann. ad Pseud. 1, 1, 49. — 74. *Lemno*, insula clarissima maris Aegaei, quam Athenarum ditioni subiecit Miltiades. Herodot. 6, 140, Terent. Phorm. 4, 3, 75. — Act. I, 2, 1. Sic fere vett. V.: *serva.* — 2. V.: *quis.* — 5. *Quippe* ll.: *quin ei.* — 6. *Ut semel.* vett.: *aut senec.* V.: *Ut simitu.* — 9. Liber vetus Cam.: *dum illi agant ss* (vel *sst*, pro *sūt*, opinor) *cet. cl.*, et similiter Decurt. V., secundum Cam.: *Dum illi agunt, quod agunt, sunt cet. cl.* Lamb. audacissime: *D. illi agunt, quod agunt, caeteri cleptae furcantur (furentur), vel harpagant.* — 13. V.: *scitis, pol haec vos me haud m.* glossema est *me.*

At nos rursum lepide gratiam referimus furibus nostris: t. t.
Nam ipsi vident, quo bona eorum adgerimus loci; i. s.
Etiam ultrod ad nos adgerunt. i. d.
Di. Me illis quidem haec verbis verberat: nam ego huc dona adcongessi. i. t. c.
A. Commemini. Iam pol eumpse ego, si domi erit, mecum adducam.
Di. Heus, manedum, Astaphium, priusquam abis! A. Qui revocat? Di. Scibis: respice huc. i. t.
A. Quis est? Di. Qui vobis multa bona volt esse. A. Dato, sid esse vis.
Di. Faxo erunt. Respice huc modo. A. Io, tu enicas as., cr. d. et t. h.
Miseram me, quisquis es. Di. Pessuma mane, mane! A. I, Optume: odiosus es. — cr. d.
Dinarchusne ille est? Atque is est. i. d.
Di. Is. Adeas: λυσιτελεῖ. Manum fer contra et pariter gradere. i. t. c.
A. Tibi servio atque sum audiens imperiis. Di. Tute quid agis?
A. Valeo et validum teneo. Peregre quoniam advenis: coenetur. as., t. d. i. d. c.
Di. Benigne dicis. Adsta! A. Enim, amabo, sine me, quo ire iussit. i. t. c.
Di. Eas. Sed quid ais? A. Quid vis? Di. Istic, quo inceptas b. t.
Iter, qui est? quem arcessis? A. Achivam obstetricem.
Di. Mala femina es. A. Solens sum ex disciplina. i. tr. c.
Di. Manufestam mendaci, mala, te teneo. A. Quid iam, amabo? i. t. c.
Di. Quia te adducturam huc dixeras eumpse, non eampse;

---

16. *loci.* vett.: *loqui.* V.: *N. i. v., cum eorum agger. bona: quin etiam ultro ipsi agg. ad nos.* — 18. *huc.* V.: *huic*, contra fidem vett. librorum. Non semel hac chorda oberrarunt. — 19. *eumpse ego.* V.: *ego eum ipsum.* Sic etiam 34. erraverunt. — 20. *Scibis.* V.: *Scies.* — 21. *sid.* ll.: *si.* — 26. *Ad.*: λυσ. Decurt.: *aduas lini ittuli fert contra man. et p. gr.* V.: *it ad nos.* Di. *et tu fer c. m.* etc. λυσιτελεῖ, *operae pretium est.* — 27. Scripti: *imperiis.* V.: *imperii*, forma genitivi parum usitata aevo Plautino: v. Bentl. ad Terent. Andr. 2, 1, 20, Obbarius ad Horat. Epist. 1, 1, 67. — 28. *coenetur.* Palat.: *centur.* V.: *P. cum adv., coena detur.* — 29. Liber Cam. vetus: *astat cum amabo.* V.: — *dicis.* As. *at enim, am.* — 31. *Achivam*, graecam. Bacch. 4, 9, 12.: *equus, quem misere Achivi ligneum.* V.: *Archivam.* Pal. et vett. edd.: *Archinam.* — 32. Scripti: *soles unies disciplinam.* V.: *Solens s.: ea est d—na.*

Nunc mulier facta est ex viro. Mala es praestigiatrix. —
Sed tandem loquere, quis is homo est, Astaphium! novus amator?
A. Nimis otiosum te arbitror hominem. DI. Quinam arbitrare?
A. Quia tuo vestimento et cibod alienis rebus curas.
DI. Vos mihi dedistis otium. A. Quid iam, amabo? DI. Expedibo.
Rem perdidi: cum re meum negotium abstulistis.
Si rem servassem: fuit, ubi negotiosus essem.
A. An tute bene rem publicam aut amoris alia lege
Haberi posse postulas, quin tu otiosus fias?
DI. Illa, haud ego, habuit publicum: pervorse interpretaris.
Nam advorsus legem a me ob meam scripturam pecudem cepit
Aeraque. A. Itidem, quod tu facis, faciunt rem male gerentes:
Ubi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos.
DI. Male vortit res pecuaria mihi apud vos; nunc vicissim
Volo habere aratiunculam pro copiad apud vos.
A. Non arvus hic, sed pascuust ager; si arationes

---

37. V.: *N. o. arb. h. esse te.* DI. *quianam arb.?* — 39. Vett.: *otiosum.* V.: *V. me otiosum reddidistis.* — 40. V., secundum Non. v. Expedibo, p. 477.: *R. perd. apud vos*, quae versus non admittit. — 43. V.: *Hab. se posse. rem publ. haberi.* i. e. administrari, quemadmodum dicitur *rem habere* pro eo, quod est *rem gerere.* Argute Astaphium res publicas vel amorem administrari posse negat, nisi quis totis viribus opibusque eo incumbat, tandemque, re insumta sua, si opus sit, relinquat negotium, i. e. *otiosus fiat.* Quibus verbis et summa significatur Φιλοταρχία, et amor perditus, qualis fuit Dinarchi. cf. 129. *rem* (aliquam) *publicam haberi*, sicut *Illa habuit publicum.* — 44. *publicum*, publicum vectigal ex portu, vel scripturis pascuorum, vel decimis ex agris; quae vectigalia populi Rom. conducebantur a publicanis. — 45. *cepit* Charis. p. 213. ed. Putsch. V.: *accepit*, male, siquidem hic agitur de capto pecore eius, qui scripturam non solvit (die Abpfändung des Viehes). At Phronesium contra legem et pecus cepit et aes Dinarchi, i. e. pretium scripturae, quam conduxit (den Pacht). Figurate haec dicta omnia, quae alii perverse interpretantur. — 46. *rem.* ll. soloece: *rei.* — 47. *scripturam*, pretium annuum pascui conducti; id Dinarchum solvere non potuisse ait mulier. — 48, 49. *rem pecuariam* dicit meretricios amores, *arationem* legitimos, qui conciliari solent cum puellis ingenuis et gratis constant. Horum similes Din. poscit meretricem *pro copia*, i. e. facultate sua, ab ipsa spoliati. Cf. sequentia. Ceterum prisci codd.: *p. copia ap. v.* V.: *p. copia hic ap. v.*

Habituris: quae arari solent, ad pueras ire meliust.
Hunc nos habemus publicum; illi alii sunt publicani.
Di. Utrasque utrobidem percognovi. A. Istoc pol tu otiosus,
Quom et illi et hic pervorsus es. Sed utriscum rem esse mavis?
Di. Procaciores estis vos; illae periuriosae.
Illis perit quidquid datur, neque ipsis paret quidquam;
Vos saltem, si quid quaeritis, et bibitis et comestis.
Postremo illae sunt inprobae; vos nequam et gloriosae
Malaeque in nos. A. Illa omnia tibi, Dinarche, dicis
Et nostram et illarum vicem. Di. Qui istuc? A. Rationem dicam:
Quia, qui alterum incusat probri, se eumpse intueri oportet.
Tu a nobis sapiens nihil habes; nos nequam abs ted habemus.
Di. O Astaphium, haud istoc modo solita es me ante adpellare,
Sed blande, quom illuc, quod apud vos nunc est, apud me haberem.
A. Dum vivit: hominem noveris; ubi mortuost: quiescat.
Te, dum vivebas, noveram. Di. An me mortuom arbitrare?
A. Qui potis, amabo, planius? qui antehac amator summus
Habitust, illum ad amicam meras querimonias referre!
Di. Vostra hercle factum iniuria, quae properavistis olim
Rapere. Otiose oportuit: diu ut essem incolumis vobis.
A. Amator similis oppidi est hostilis. Di. Quo argumento est?
A. Quamprimum potis est expugnari amator, optumum amicae est.
Di. Ego fateor; sed longe alter est amicus atque amator.
Certe hercle quam veterrumus homini optumust amicus.
Non occiderunt hercule mihi etiam fundi et aedes.
A. Cur, obsecro, ergo ante ostium pro ignoto alienoque adstas?
I intro: haud alienus tu quidem es: nam ecastor neminem hodie
Mage amat corde atque animo suo, — si quidem habes fundum atque aedis.

51—60. Perperam libri: *pueros*, *Utrosque*, *illi periurioso*, *illi s. improbi*, *illorum*, cum agatur de puellis honestis et matrimonio. Palat. et priscae edd. *melius est*. V.: *melius*. tum ll. asperato metro: *illic* pro *illi*, *apparet* et 59., auctore Cam.: *Mal. A. quae in nos illosque*, *ea omnia*. vett.: *M. in n. illis* ea omn. (Long.: — *illis*. A. *ea omn.*) *tibi d. Din.* — 65. V.: *quiescas*. — 67. V.: *pot. est*. — 68. *illum*. V.: *istunc*. — 71. Sic vett. v. *poti'st*. — 73. *alter* Acid., i. e. alius. V.: *aliter*.

Di. In melle sunt linguae sitae vostrae atque orationes;
Facta atque corda in felle sunt sita atque acerbo aceto.
E linguis dicta dulcia datis, corde amarefacitis
Amantis, si qui non danunt. A. Non didici fabulare,
Dinarche. Di. Non istaec mea benignitas te docuit,
Sed ii, qui cum geniis suis belligerant, parcipromi.
Mala es atque eadem, quae soles, inlecebra. A. Ut expectatus
Peregre advenisti! Di. Ain', obsecro? A. Cupiebat te hera videre.
Di. Qui tandem? A. Te unum ex omnibus amat. Di. Euge, fundi et aedes,
Per tempus subvenistis! — Sed quid ais, Astaphium? A. Quid vis?
Di. Estne intus nunc Phronesium? A. Tibi quidem. Di. Valetne?
A. Imo edepol melius iam fore credo, te ubi videbit.
Di. Hoc nobis vitium maxumum est, quom amamus, tum perimus:
Si illuc, quod volumus, dicitur, palam quom mentiuntur,
Verum esse insciti credimus, ne ut inaestuemus ira.
A. Heia, haud ita est res! Di. Ain' tu med eam amare? A. Imo unice unum.
Di. Peperisse eam audivi. A. Obsecro, tace, Dinarche.
Di. Quid iam?
A. Horresco misera, mentio quoties fit partionis:
Ita paene tibi Phronesium fuit. I intro iam, te amabo;
Vise illam. — Atque opperire ibi. Iam exibit: nam lavabat.
Di. Quid ais tu? quae nunquam fuit praegnas, qui parere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod sciam, nunquam extumere sensi.
A. Celabat metuebatque te, sibi ne aut persuaderes,
Ut abortioni operam daret, puerumve ut enecaret.
Di. Tum pol puero isti quis pater? A. Babyloniensis miles,
Quoius nunc ista adventum expetit. Imo adeo, ut nuntiatum est,

---

80. *Facta atque.* MSS: *fac atque, vacatque.* V.: *Lacteque, et lita* pro *sita;* hoc quidem auctore Gul. — 83. V.: — *benignitas docuit fabulari.* — 86. *Ain'.* V.: *Nam.* — 87. *Qui.* V.: *Quid.* — 88. V.: *subv. mihi.* — 89. V.: *tibi q. intus.* — 90. Sic vett. v.: *mel. fore.* — 93. Ll. mendose: — *nae* (vett.: ne, i. e. nedum) *ut in aestu mutuamur ira.* — 95. V.: *eh, ehe.* — 98. Ll. uno tenore: *V. i., atque* etc. — 101. *aut* accessit ex scriptis. — 102. V.: *puerumque.* — 103. V.: *quis est.*

Iam *hic* adfaturum aiunt eum. Nondum advenisse mirer.
Dr. Ibo igitur intro? A. Quippini? Tam audacter, quam domum ad te:
Nam tu edepol nunc noster es etiam, Dinarche. Dr. Quam mox
Te recipies tu? A. Iam hic ero: prope est, profecta quo sum.
Dr. Redi vero actutum: ego interim te apud vos opperibor.
A. Ha, ha, ha!
Eccere, quievi, quia introivit odium; tandem sola sum:
Nunc, quae volam quidem, libere loquar meo arbitratu. i. t. e.
Huic homini amanti mea hera apud nos veniam addixit de bonis:
Nam fundi et aedes obligatae sunt ob amoris prandium;
Verum apud istunc mea hera consilia summa eloquitur libere,
Magisque adeo ei consiliarius hic amicast quam auxiliarius.
Dum fuit: dedit; nunc nihil habet; quod habebat, nos habemus; i. t. e.
Iste id habet, quod nos habuimus. Humanum facinus factum est.
Actutum fortunae solent mutari. Varia vita est.
Nos divitem istunc meminimus atque iste pauperes nos;
Vorterant sese memoriae. Stultust, qui id admiretur.
Si eget: necesse est, nos patid. Amavit: aequom factum est.
Piaculum est, misereri nos hominum rem male gerentum.

---

107. V.: *N. tu e. noster sed iam nunc, Din.* V.: *N. t. e. nost. es etiam iam n., D.* — 108. V.: *recipis.* — 109. *Redi.* Bentleius Sched. de metr. Terent. c. 8.: „*Abi, domi, redi, dari, roga, iube, tace, vide*, et si qua id genus alia sunt, quae ultimam brevem habent, vix est ut licenter dicas, sed legitime corripi, cum veteres Epici idem ius usurpaverint.“ — 110. *Eccere* Palmer. Spicil., Lamp. Gruter. 4., p. 713., et alii. V.: *Hercle*, secus quam iurare solent mulieres. — 111. V.: *N. quidem m. arb. loqu. lib. quae vol. et quae lubebit.* Postrema ex interpretatione fluxerunt. Similiter Asin. 1, 2, 26. — 112. *veniam* priscae edd.; v.: *neniam*, quod abhorret; nam hoc dicit ancilla, Phronesium Dinarcho veniam addixisse, i. e. concessisse seu dedisse, de bonis aggerendis, quia iam fundos et aedes obligaverit propter amorem suum. — 114. *istunc.* V.: *huac.* — 117. *Iste id.* vett.: *Istinc* vel *Istic.* v.: *Iste nunc id.* — 119. *istum* vett. edd. V.: *eum.* — 120. Vitiose priscae edd.: — *memoriast vices sic quid ita miretur.* Scripter Decurtati, omisso *isto st*: — *memoriast uitiis* (i. e., ni fallor, *ultus*, vox ἀνάφαλος) *sit qu. ita mir.* V.: — *memoriae: stultus sit, qui id admiretur.* bene Gul.: *stultust*, neque aliud significant verba *stultus sit*, contractum *stultust* non capientibus librariis. — 121. Palat. primus: *nos patiam quita equom f. e.* alii vett.: *patiar* vel *patior* etc. inepte et inconcinne recentiores: *nos patiatur ali; ita aequ. facta est.* — 122. Male Goen. et Ern.: *res.*

Dentibu' bonis lenam probam esse oportet: arridere,
Quisquis venat, blande adloqui; male corde consultare,
Bene loqui lingua. Meretricem sentis similem condecet
esse: t. t.
Quemquem hominem attigerit, profectod aut malum aut
damnum dare. t. t. c.
Nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere,
Quin, ubi nil det, pro infrequente mittat militiae domum;
Neque erit quisquam unquam probus amator, nisi qui re
inimicust suae. i. t.
Nugae sunt, nisi, modo quom dederit, dare iam lubeat
denuo. t. t. c.
Is amatur hic apud nos, qui, quod dedit, id oblitust da-
tum; i. t.
Dum habeat, tum amet: ubi nil habeat, alium quaestum
coepiat; t. t. c.
Aequo animo, ipse si nil habeat, aliis, qui habent, det
locum.
Probus est amator, qui relictis rebus rem perdit suam. i. t.
At nos male agere praedicant viri solere secum, i. t. c.
Nosque esse avaras quaesti. Nam qui male nos agimus
tandem?
Nam ecastor nunquam satis dedit suae quisquam amicae amator;
Neque pol accepimus satis, neque ulla satis poposcit:
Nam quando sterilis est amator, satis si habere se negat, i. t.
Quod det, satin' nec satis accipimus, satis quom, quod det,
non habet?
Novos datores semper oportet quaerere, i. s.
Qui de thesauris integris domuis dannut;

---

124. V.: *veniat*, *blandeque*. — 126. V.: *dari*. — 128. V.: *eum mittas militia. infrequente militiae*, ut Script. ad Herenn. 4, 27.: *rei militaris infrequens*. — 130. Ll. insulse: *quod modo ded.* — 136. Vetus liber Cam.: *avar. qui si nunquam alenos a. t.*, et similiter Decurt. et priscae edd., nisi quod habent *alienos*. V.: *av. quaeso*, *num qui male n. a. t.? nam qui* pro *nam cur*, ut Epid. 1, 2, 29. — 139, 40. Decurt.: *amator datis* (vett. edd.: *satis*) *si n. se hab. quod et soli nec s. accepimus* (eaedem edd.: *accipimus*) etc. V., auctore Lamb.: *amator a datis*, *improbus est. Si n. se hab. quod det*, *soli pernoctandum est. Nec satis accipimus*, *satis* etc. *Satin'* illud minus intellectum etiam 145. et alias librarii corruperunt. — 142. *domuis*, pro *domus*. MSS.: *demus*. V.: *demunt*. Gellius N. A. 4, 16.: „M. Varronem et P. Nigidium, viros Rom. generis disertissimos, comperimus non aliter locutos esse et scripsisse quam *senatuis*, et *domuis*, et *fluctuis*. — Terentii quoque Comici versu (Heaut. 2, 3, 46) in libris vett. itidem scriptum (vulgo: *versus — scriptus*) est: *Eius anuis causa.*“ Numeri quoque formam istam comprobant: v. ann. ad Pseud. 4, 3, 6.

Velut hic agrestis est adulescens, qui hic habet,
Nimis pol mortalis lepidus, nimisque probus dator.
Satin' clam patrem hac etiam nocte illico
Per hortum transilivit ad nos? Eum volo.
Sed est huic unus servos violentissumus, i. s.
Qui, ubi quamque nostrarum videt prope aedis, ac si adgredias: i. t. c.
Item ut de frumento anseres, clamore absterret, abigit:
Ita est agrestis. Sed fores, quidquid futurum est, feriam.
Ecquis huic tutelam ianuae gerit? ecquis intus exit?

STRATYLLAX. ASTAPHIUM.

S. Quis illic est, qui tam proterve nostras aedis arietat, i. t. I, 3.
A. Ego sum. Respice ad me. S. Quid ego....? Nonne ego video....? Vae tibi! t. t. c.
Quid tibi ad hasce accessio aedis est prope aut pultatio?
A. Salve. S. Satis mi est tuae salutis; nil moror; non salveo:
Aegrotare malim quam esse tua salute sanior.
At volo scire, quid debetur hic tibi nostrae domi.
A. Conprime.... S. Spero meam quidem hercle; te, qui solitus, conprimat.
A. Iram dixi, ut esse coepit. S. Sic dem, si is huc alteras.
A. Nimis quidem hic truculentus. S. Pergin' male loqui, mulier, mihi?

---

145. *Satin'*. V.: *Sed is elam patre*. Douza: *patrem*, quae vox non patitur ecthlipsin. Praeterea ll. vulgati: *etiam hanc noctem illac P. hort. tr. ad nos. eum v. convenire*. MSS.: *hac. convenire* est glossema. — 148. *ac*. V.: *hac*. — 150. *Ita est agr*. V.: *Is item est agr*. — Act. I, 3. STRATYLLAX. Libri: *Stratilax*, quod nomen inusitatum est. Cic. Epist. ad Att. 16, 15. de Antonio: *Leptae litterarum exemplum tibi misi, ex quo mihi videtur* στρατύλαξ *ille deiectus de gradu*, ubi Bosius annotavit, στρατ. esse deminutivum, ut νεᾶξ, πλουτᾶξ, et ex eodem fonte manasse mulieris nomen Στρατυλλὶς apud Aristophanem Lysistrata. Scilicet a στρατὸς derivantur στρατύλος, στράτυλλος, στρατύλλαξ, sicut ab αἶσχος Αἰσχύλος, a μικὸς (μικκός) Μικύλος, Μίκυλλος, a βαθὺς Βάθυλλος, a φάος Φάϋλλος. Quo pertinent etiam deminutiva, qualia sunt ἰδύλλιον, μειρακύλλιον. Est igitur στρατύλλαξ *pugnax, litigiosus*, qualem hunc servum facit Comicus. — 6. *At*. scripti: *Ad*, vel *Aut*. V.: *Id*. — 7. V.: *tu quae solita es, comprimas*. vett.: *quem solitas*. correxit Lips. Post hunc versum inculcaverunt, idque falsum, marginale: *Imprudens* (edd. mediae aetatis: *Impudens*) *per ridiculum, ut rustico, suadet stuprum*. — 8. V.: *I. d.* St. *ut e. coepisti, si dem, si est una altera*. Vetus liber Cam.: *sistun alteram*. Minantis est *Sic dem* (scil. plagas). *Alteras* prisce pro Alias. v. Fest. (p. 22 Lindem.), Mostell. 1, 3, 113., ubi Decurt.: *alteras* pro *alteram*.

A. Quid tibi ego autem dico? S. Quia enim me truculen-
tam nominas.
Nunc adeo, nisi abis actutum aut dicis, quid quaeras, cito:
Iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus
proteram!
A. Rus merum hoc quidem est. S. Pudendum et vero clarinum pecus,
Rus tu mi opprobras, ut nacta es hominem, quem pudet
probri?
Advenisti huc nic tentatum cum exornatis essibus?
Quia tibin' suaso infecisti, propudiosa, pallulam,
An eo bella es, quam clepsisti? Ar med advenias! A. Nunc
places.
S. Quam me tibi velim. A. Mentire. Dices.... S. Quid?
A. Quod te rogo?
S. Mancupium qui accipias, gesta tecum ahenos anulos!
A. Dignis dant. S. Lavernae istaec sunt, quas habes victo-
rias.
A. Ne attigas me. S. Tangam te? Ita med amabit sarculum,
Ut ego ruri me hamaxari mavelim patulum bovem
Camque eri noctem in stramentis pernoctare perpetem,
Quam tuas centum coenatas noctis mihi dono dari!
Sed quid apud nostras negoti, mulier, est aedis tibi?
Quid tu huc accursas, in urbem quotienscunque advenimus?

---

11. *aut.* priscae edd.: *at.* V.: *ac.* haec vocabula solent permisceri. — 13. Sic vett. V.: *Pudendumne?* — Glossa Papiae: *Clura vel Clurinum simia dicitur.* Deformitatem Strat. Astaphio exprobrat. — 14. post 24. legitur in libris. — 15. V.: *advenisti huc sistentatum.* — 16. V.: *Q. tibi inzuaso.* MSS. *Q. t. rezuaso.* recte Acid. et Meurs. Festus (p. 142 Lindem.): *Suasum colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo* etc. Irridet fumum culinae et coquorum sordidos amores. — 17. *quam cl. V.*: *quia accepisti.* — *Ar* antiquissimis valebat *Ad*, quemadmodum dicebant *arvenas*, *arfines*, pro *advenas* etc., ut docet Priscian. 1, p. 559. Putsch. Vocem obsoletam apud urbanos Plauti aevo rusticus retinuit. — 18. V.: *Q. me illi v.* As. *Mentiris.* St. *Dicis* (vett. edd.: *dices*), *quod* (Decurt., Long.: *quid quod*) *te r.* — 19. *ah. annulos.* V.: *penos* (vett.: *he* sive *hae nos*) *anuos*, quae Turnebus emendavit Adv. 10, 25. Negat Strat., se mancipium seu servum esse Astaphii ita ut sibi opus sit illi respondere quodsi servo egeat, iubet eam ipsam gestare seu circumferre annulos aheneos, i. e. catenas, more servorum. — 20. V.: *Laviniae* (Pal.: *lauine*) *hic sunt. Lavernae*, furum deae. *victorias*, praedas. — 21. *Ita — sarc.* iusiurandum rusticum. — 22. *hamaxari*, ἁμάξῃ, i. e. plaustro iungere. *patulum* vett., i. e. patulis cornibus. V.: *patulem.* — 23. *eri.* V.: *ita*, sicut vett.: *itim* vel *itym* pro *erim* Capt. 1, 2, 84. *eri*, erinaceo. — 26. *huc.* V.: *hoc* — *quotiesc.* vett.: *quotienic.*

A. Mulieres vole convenire vostras. S. Quas tu mulieres
Mihi narras, ubi musca nulla femina est in aedibus?
A. Nullane istic mulier habitat? S. Ras, inquam, abierunt.
A. Papae!
Quid clamas, insane? S. Abire hinc ni properas grandi gradu:
Iam ego istos fictos, compositos, crispos, cincianos tuos
Unguentatos usque ex cerebro expellam! A. Quanam gratia?
S. Quia adeo foris unguentis uncta es ausa accedere,
Quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes.
A. Erubui mecastor misera propter clamorem tuom.
S. Itane? erubuisti? quasi vero corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ulli capiundi, mala.
Buccas rubrica, et creta omne corpus intinxti tibi.
Pessumae estis! A. Quid est, quod vobis pessumae haec, mastigia?
S. Scio ego plus, quam me arbitrare scire. A. Quid id est, obsecro,
Quod scias? S. Herilis noster filius apud vos Strabax
Ut pereat, ut eum inliciatis in malam fraudem et praemium.
A. Sanus si videare, dicam. Dicis contumeliam:
Nemo hominum hic solet perire apud nos; res perdunt suas;
Ubi perdiderunt res: abire hinc, si volunt, vivis licet.
Ego non novid adulescentem vostrum. S. Veron'? A. Serio.
S. Quid maceria illa ait, in horto quae est, quae in noctis singulas
Latere fit minor, qua is ad vos damni permensust viam?
A. Non mirum, ut vetust maceria, lateres si veteres ruent.
S. Aiin' tu, mala, lateres veteres ruere? Nunquam edepol mihi
Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum credit,
Ni ista ego vostra hero maiori facta denarravero.
A. Estne illic violentus? S. Suam non olim illic meretriculis
Moeniendis rem coëgit: verum parsimoniae,
Duritiaeque; quae nunc ad vos clam exportatur, pessumae.

---

29. *Papae!* MSS.: *pabi.* V.: *abi.* — 33. V.: *fores nostras.* — 38. Vett.: *B. rubricata o. c. intinxit t. creta* Pareus lexico Plaut. h. v. Scal.: *intinxti.* — 39. Vetus cod. Camb.: *pessumae haec mo.* V.: *pes. haec* ***. *haec*, hae, δευτεπῶς, i. e. nos, meretrices. — 42. *praemium*, mercedem. — 45. *vivis.* MSS.: *utuis.* V. *nudis.* — 47. *Quid* vett. edd. V.: *Quin.* — 48. *is ad vos.* Sic eandem. MSS.: *iti vos.* V.: *iste ad vos.* — 50. V.: *Ain'.* — 53. *olim illic.* V.: *enim ille.* — 54. Sic Palmer., Pareus. MSS.: *moniendis.* V.: *Muniendis.* — 55. Pal. et vett. edd.: *nunc duo sciam exp.* V.: *a. ad vos iam exp.*

Hem tibi, o sexungula! male vivatis! — Egone haec mussitem?
Iam enim exercebo forum, atque haec facta narrabo seni:
Namque istuc ipse gestit: ergo coget examen mali. i. t.
A. Si ecastor hic homo sinapi victitet: non censeam
Tam tristem esse posse. At pol, here benevolens ut is est suo,
Vortam illum ego! Quanquam violentust, spero, mutari potest t. t. c.
Blandimentis, ornamentis ceteris meretriciis.
Vidi equidem exanimatas domitas fieri aeque alias beluas.
Nunc ad heram revidebo. Sed odium, eccum, progreditur meum.
Tristis exit: haud convenit etiam hic dum Phronesium.

DINARCHUS. ASTAPHIUM.

Di. Piscis ego credo, qui usque, dum vivont, lavant, i. s. I, 4.
Minus diu lavare, quam haec lavat Phronesium.
Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant:
Omnes amantes balneatores sient.
A. Non quis parumper durare opperirier?
Di. Quin hercle lassus iam sum durando miser,
Mihique opus ut lavem prae lassitudine.
Sed obsecro hercle, Astaphium, i intro ac nuntia,
Me adesse hic, propere, et suade, iam ut satis laverit.
A. Licet. Di. Audin' etiam? A. Quid vis? Di. Di me perduint,
Qui te revocavi! Non tibi dicebam. I modo.
A. Quidnam revocabas me, inprobe nihilique homo?
Quae passuum tibi mille peperit mora moram.

---

56. V.: *Hem tu — vivitis. sexungula*, sex ungulas habens, rapax. Similiter Aul. 3, 6, 16.: *coquos Cum senis manibus, genere Geryonaceo.* v. Palmer., Taubm. — 57. MSS.: *exercere ibi for.* V.: *eccere ibi in for. exercebo forum*, commovebo homines forenses. Nonius: — *Exercere est exagitare vel commovere.* — 58. Lipsii emendatio Ant. Lectt. 4, 6. V.: *exanimem.* His dictis abit Stratyllax. — 60. *tristem* non liquescit. — 63. Decurt.: *V. e. exinem intum domito f. atque a. b.* V.: *V. e. ex iumentis domita f. atque a. b.*, quae sunt sensu cassa. *exanimatas*, animo seu mente privatas, brutas. Casina 3, 3, 10. *exanimatum* dicit eum, cui animus non adest etc. — 64. *odium eccum*, ut: *Herus, eccum, recipit se domum* Pseud. 3, 1, 23. — Act. 1, 4, 7. V. sub Astaphii persona: *Mihi quoque prae l. o. est ut l.* — 9. *Me ad. hic, pr.* V.: *Me adesse. tu i pr.* — 12. *Quidnam.* V.: *Quid iam.* — 13. V.: *Q. tibi m. pass. p. morae mora.* vett.: — *pep. more*, vel *morae.*

Di. Sed haec quid autem hic tamdiu ante aedis stetit?
Nescio quem praestolata est. Credo, militem.
Illum student iam: quasi volturii, triduo
Prius praedivinant, quo die esuri sient;
Illum inhiant omnes; illi est animus omnibus.
Me nemo magis respiciet, ubi istic venerit,
Quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus.
Utinam, seu res salvae essent! Vae misero mihi!
Post factum plector, qui antepartum perdidi;
Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas
Magna atque luculenta, nunc, postquam scio,
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia:
Ita ego illam edepol servem, itaque parce victitem,
Ut — nulla faxim cis dies paucos siet,
Ego istos, qui me culpant, confutaverim,
Sed aestuosas sentio aperiri fores,
Quae absorbent, quidquid venit intra pessulos.

PHRONESIUM. DINARCHUS.

Ph. Num tibi nam, amabo, ianua est mordax mea, i. s. I, 5.
Quo introire metuas, mea voluptas? Di. Ver vide!
Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet!
Ph. Qui tam infacetus, Lemno adveniens, qui tuae
Non des amicaed, o Dinarche, savium?
Di. Vah, vapulo hercle nunc ego, atque adeo male!
Ph. Quo te avortisti? Di. Salva sis, Phronesium.
Ph. Salve. Hiccine hodie coenas, salvos quom advenis?
Di. Promisi. Ph. Ubi tu coenabis? Di. Ubi tu iusseris:
Hic. Ph. Me lubente facies. Di. Edepol me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium?

16. Sic vett. V.: *Illud est. vide ut iam qu.* — 18. *illi*, illic. — 19. *istic*. MSS.: *is est huc*. vett.: *is huc*. V.: *iste huc*. — 21. MSS.: *Vtrum seure* (Decurt.: *seruire*) *salve est*. Priscae edd.: *Verum seruire suave est*. V.: *Ut rei servire suave est!* Sed rei servire, i. e. parce vivere, non tam suave est, quam utile. Nec verisimile videtur, verbum *suave* ita mutasse. *Utinam*, scil. *essem* (mortuus), quod facile intelligas, cum sequatur *essent*. — 22. *qui*. V.: *quia*. — 28. V.: *qui nunc me*. — 29. Scripti: *Sed est uos adsentio a. f.* priscae edd.: *Sed adsentio a. f.* Cam., quem vulgo sequuntur: *Sed est vocis sat. sent. a. f.* — Act. I, 5, 4. *infac.* priscae edd. V.: *inficetus*. — 5. V.: *amicae*, *Din.*, *e.?* Pathetice meretrix dicit *o Dinarche*, ut quae amet eum, cuique doleat, iuvenem non expetere amplexum suum, ut antea. cf. 40. rationem huius correctionis declaravi praefatione. — 8. V.: *Hicne*.

PH. Velim, si fieri possit. DI. Cedo soleas mihi!
Properate auferre mensam! PH. Amabo, sanun' es?
DI. Non edepol bibere possum iam: ita animo male est.
PH. Mane: aliquid fiet. Ne abi. DI. Ah, adspersisti aquam!
Iam rediit animus. Deme soleas. Cedo, bibam.
PH. Idem es ecastor, qui soles. Sed dic mihi,
Benene ambulastid? DI. Hunc quidem hercle ad te bene,
Quem tui videndi copia est. PH. Complectere.
DI. Lubens. Ah, hoc est melle dulci dulcius!
Hoc tuis fortunis, Iupiter, praestant meae!
PH. Dane savium. DI. Imo decem. PH. Utine istuc panperis,
Plus polliceri, quamde ego a te postulo?
DI. Utinam a principio re item parsissem meae,
Ut nunc reparco saviis! PH. Si quid tibi
Conpendi facere possim: factum edepol velim.
DI. Lavisti iam? PH. Pol mihi quidem atque oculis meis.
Num tibi sordere videor? DI. Non pol mihi quidem;
Verum tempestas (memini) quondam fuverat,
Quom inter nos sorderemus alter alteri.
Sed quod ego facinus audivi adveniens tuom,
Quod tu hic me absente novi negoti gesseris?
PH. Nam quid id est? DI. Primum quom tu es aucta liberis,
Quomque bene provenisti salva, gaudeo.
PH. Concedite hinc vos intro atque operite ostium. —
Tu nunc superstes solus sermoni meo es;
Tibi consilia summa semper credidi.

---

13. Douzae emendatio. V.: *Prop.! auferte m.!* — 16. *Deme soleas.* Solebant deponere soleas ante discubitum, ne lectum conspurcarent. Itaque poscit eas servum surgens de coena Nasidieni apud Horatium Sat. 2, 8, 77. — 18. Decurt.: *B. ambulasti?* V.: *B. ambulavisti?* Formula, qua de salvo alicuius reditu quaerebant, sicut abeuntes vel peregre proficiscentes dimittebant verbis *Bene ambula.* cf. Mostell. 3, 2, 166. — 19. *Quom.* MSS.: *quam.* vett. edd.: *quando.* V.: *Quoniam.* Fefellit compendium *qm.* — 20. Sic fere vett., nisi quod habent *Ad* vel *At.* V.: *Ah, hoc est mel melle d. d.* — 22. Vett.: *Dant* (edd.: *Da nunc) suavium.* DI. *Imo* vel decem. PH. *utem* (edd.: *utinam) istoc p. esse* (edd.: *essem).* V., auctore Cam.: *Dane suav.* DI. *I. vel d.* PH. *Haud ist. p. es.* — 25. V.: *reparcis. reperco*, parco. *Aliquid compendii facere.* i. e. prodesse, iuvare. — 29. *fuverat.* plusquamperf. sensu perfecti, more veterum. vide 42. et annotata a nobis ad Amph. prol. 81. 1. ed. V.: *mem. cum quondam fuit.* In priscis codd. non habetur *cum.* — 30. V., invitis libris vett.: *sord. unus alteri.* — 32. *Quod novi neg.* quod novum negotium. 33, 35 et 36. accesserunt ex MS. Ambrosiano. — 33. is liber mendose: *Pr. eum tuives a lib.* — 37. V.: *Tibi mea cons.*, quo glossemate admisso theai occultatur vox, quae pondus habet, *Tibi.*

Equidem nec peperi puerum, nec praegnas fui;
Verum adsimulavi, me esse praegnatem, haud eram.
Di. Quapropter, o mea vita? Ph. Propter militem
Babyloniensem, qui quasi uxorem sibi
Me habebat annum, dum hic fuit. Di. Ego senseram.
Sed qui istuc? quoi re id te adsimulare retulit?
Ph. Ut esset aliquis laqueus et retinaculum:
Revorsionem ut ad me faceret denuo.
Nunc huc remisit nuper ad me epistolam:
Sese experturum, quanti sese penderem.
Si, quod peperissem, id educarem ac tollerem:
Bona sua habiturum me omnia. Di. Ausculto lubens.
Quid denique agitis? Ph. Mater ancillas iubet,
Quoniam nunc decimus mensis adventat prope,
Aliam aliorsum ire, praemandare et quaerere
Puerum aut puellam, qui supponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Novisti, nostras quae nunc erga aedis habet?
Di. Novi. Ph. Haec, ut opera, circumit per familias,
Puerum vestigat, clanculum ad me detulit,
Datum sibi esse dixit. Di. O merces malae!
Nunc non eum illa peperit, quae peperit prior,
Sed tu posterior. Ph. Ordine omnem rem tenes.
Nunc, ut praemisit nuntium miles mihi,
Non multo post hic aderit. Di. Num tu te interim
Quasi pro puerpera hic procuras? Ph. Quippini,
Ubi sine labore res geri pulcre potest?
Ad quaestum quemque callidum esse aequom est suum.
Di. Quid me futurum est, quando miles venerit?
Relictusne abs te vivam? Ph. Ubi illud, quod volo,
Habebo ab illo: facile inveniam, quomodo
Divortium et discordiam inter nos parem;
Post id ego tecum, mea voluptas, usque ero
Adsiduo. Di. Imo hercle vero adcubuo mavelim.
Ph. Quin dis sacrificare hodie pro puero volo
Quinto die, quo fieri oportet. Di. Censeo.

---

42. MSS.: *annoum*, i. e. *annum*. V.: *anno*. — 43. *qui*. quamobrem. Ll.: *quid*. — 44. Ll.: *rediniculum*, quod verbum abhorret. — 51. *nunc*. Vetus liber Cam.: *non*, menda haud rara. Vulgati *παυσφώνως*: *iam*. — 55. *quae nunc*. MSS.: *quem* (que nc̄). V.: *q. modo*. — 62. *Num*. V.: *Nunc*. — 70. Vett.: *P. id ego totum tecum*. V.: *Postidea ego tota tecum*. *tota* sphalma est librarii, quod adscripto *tecum* emendavit. — 73. *quo*. V.: *quod*. — Apud Graecos infans natus die quinto lustrabatur, cursim circa focum gestatus; apud Latinos octavo quidem puellae, nono pueri etc. *E Scaligeri ann. ad Festum* (cf. Festum p. 90 et 190 Lindem.).

PH. Non audes aliquod dare mihi munusculum?
DI. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quidpiam me poscis. PH. At ego, ubi abstuli.
DI. Iam faxo hic aderit; servolum huc mittam meum.
PH. Sic facito. DI. Quidquid autem erit, boni consulas.
PH. Ecastor munus te curaturum scio,
Quoius me non poeniteat, ut mittas mihi.
DI. Num quidpiam vis me aliud? PH. Ut, quando otium
Tibi sit, ad me revisas; tum valeas. DI. Vale. —
Proh di inmortales, non amantis mulieris,
Sed sociae unanimae et mentis fidentis fuit
Officium facere, quod modo haec fecit mihi,
Suppositionem pueri quae mihi credidit,
Germanae quod sorori non credit soror.
Ostendit sese iam mihi medullitus,
Se mi infidelem nunquam, si vivat, fore.
Egone illam ut non amem? egone illi ut non bene velim?
Me potius non amabo, quam huic desiet amor.
Isti ego non mittam munus? Imod eloco
Iubebo ad istam quinque perferri minas;
Praeterea ad mnam duntaxat obsonarier.
Multo illi potius bene erit, quae bene volt mihi,
Quam mihimet, omnia qui mihi facio mala.

PHRONESIUM.

Puero isti date mammam. — Ut miserae matres sollicitaeque ex animo sunt, as., t. d. et i. d. h. II, 1.
Cruciantur que! Edepol conmentum male! quomque eam rem in corde ego agito:
Nimio minus perhibemur malae quam sumus ingenio. as., 2 anacr.
Ego primum de me modo docta dicto. b. t.

---

81. V., hiante versu: — *revisas.* DI. *valeas.* PH. *vale.* Palat.: *reuisastualeas*, quod fuerit initio: *reuisastūualeas.* — 84. Ll.: *S. s. unanimantis, fid. f.*, qui versus ἄμετρος est et vox *unanimans* inusitata. — 92. De hoc versu vide praefationem. Codex antiquus Camerarii *ianmo*, omisso d ephelcystico, quo emendatio nostra confirmatur. — 94. V. pravis numeris: *Pr. obsonari dunt. ad minam;* nec iuvat priscarum editionum scriptura vitiosa *P. o. d. hic mina.* — Act. II, 1, 4. *Ego* priore longa, ut passim in his fabulis.

Quanta est cura in animo, quantum corde capio
Dolorem, dolus ne occidat morte pueri!
Mater dicta quod sum, eo magis studeo vitae, t. tr.
Quaed hoc ausa, tantum clam dolum adgredíri.
Lucri causa avara probrum sum exsecuta:
Alienos dolores mihi supposivi. b. t.
Rem nullam oportet dolose adgredíri, as. i. h. b. d.
Nisi astute adcurateque exsequare.
Vosmet videtis iam, ut ornata incedo:
Puerperio aegram ego nunc me esse adsimulo.
Male quod mulier facere incepit, nisid ecficere perpetrat: t. t. c.
Id illi morbo, id illi senio, ea illi miserae miseria est; i. t.
Bene si facere incepit: eius eam cito odium percipit. t. t. c.
Nimis quam paucae sunt defessae, male quae facere occeperunt; as., t. d. et i. d. c.
Nimis quam paucae ecficiunt, si quid occeperint bene facere.
Mulieri nimio malefacere melius opus est quam bene. t. t. c.
Ego quod mala sum, matris opera mala sum et meapte malitia,
Quae me gravidam esse adsimulavi militi Babylonio.
Eam nunc malitiam adcuratam miles inveniat volo. i. t.
Iste hic haud multo post, credo, aderit: nunc prius praecaveo sciens,
Eumque ornata ornatum, ut, gravida quasi puerperio cubem.
Date mi huc stactam atque ignem in aram: ut venerem Lucinam meam. t. t. c.
Hic adponite atque abite ab oculis. — Eho, Pithecium,
Face ut adcumbam. Accede: adiutare sic decet puerperam. — i. t.
Soleas mi educe, pallium iniice, Archylis, in med huc. — Ubi es,

---

8. V.: *Quae causa sum tant. cl. d. a.* priscae edd.: *Q. hoc.* — 15. *nisid.* V.: *nisi id.* vett.: *nisi.* — 16. V.: *senio est.* — 20. *opus.* V.: *onus.* — 25. *ornata.* i. e. ornata sum, ellipsi usitata Plauto et veteribus, more Graecorum. Vide Amph. 1, 1, 169. et annotata a nobis ad eum locum 1. ed., Rud. 2, 4, 32; 3, 3, 29., Horat. Sat. 2, 8, 2., Priscian. p. 1178. et sequ. Putsch., Iacobs. indice Anthol. Palat. v. εἰμί. V., Cam. et Lamb. auctoribus: *E. gero ornatum.* — 26. *stactam*, στακτήν, myrrham stactam, i. e. oleum destillans de myrrha viridi incisa, cui oleo succum cinnamomo expressum admiscebant. v. Plin. 12, 15. etc. — 29. V.: *Sol. mihi duce.* v. ann. ad 1, 5, 16. de *e* et *in* praepositionibus saepe permixtis dixi ann. ad Mercat. 2, 3, 88. (414.) 1. ed., Vellei. 2, 33.; 120.; Sil. 6, 268.

Astaphium? Fer huc verbenam mihi, thus et bellaria. t. t. c.
Date aquam manibus. Nunc ecastor ut venat miles velim.

STRATOPHANES. PHRONESIUM. ASTAPHIUM.

St. Ne exspectetis, spectatores, meas dum pugnas praedicem: t. t. c. II, 2.
Manibus duelli praedicare soleo, haud in sermonibus.
Scio ego, multos memoravisse milites mendacium:
Sed Homeronidae et postilla mille memorari potis,
Qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.
Non laudandus est, qui credit, quae audit, plus quam quae videt;
Non placet, quom illi plus laudant, qui audiunt, quam qui vident.
Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt; qui vident, plane sciunt.
Non placet, quem scurrae laudant, manipulares mussitant,
Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem praestringit domi. i. t.
Strenui nimio plus prosunt populo quam arguti et cati: t. t. c.
Facile sibi facunditatem virtus argutam invenit;
Sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica,
Quae alios conlaudat, eapse sese vero non potest.
Nunc ad amicam decumo mense post Athenas Atticas
Viso, quam gravidam reliqui meo conpressu, quid ea agat.
Ph. Vide, quis loquitur. A. Iam propinque miles, mea Phronesium,
Tibi adest Stratophanes: nunc tibi opust, aegram ut te adsimules. Ph. Tace:

---

30. Annotavit Longolius, *verbenis* non modo aras coronasse veteres, sed iis etiam leniri dolores muliebres, ut auctores sint Dioscorides et Andreas Herbarius, quem laudat interpres Nicandri; *bellaria* vero adhiberi ad auferendum animi defectum. De *thuris* usu ad suffiendum non opus dicere. — 31. Ll. soloece: *veniret*. — Act. II, 2, 4. *Homeronidae*, milites Homerici. Nomen fictum magnificum, simile *glandionidae suillae* et *larido permasidi* Menaechmis, quo nomine poëta irridet militum illorum iactantiam. *potis*, potissunt. V.: *potest*, quod soloecum. — 6. V.: *N. l. est quoi* (vel *cui*, ut MSS.) *pl. cr. qui a. qu. qui v.* priscae edd. fere, ut nos. — 14. Nonius: *Praeficae dicebantur apud veteres, quae adhiberi solebant funeri mercede conductae, ut et flerent, et fortia facta laudarent. Plautus in Frivolaria*: Superaboque omnis argutando praeficas. *Idem Truculento*: praefica, Quae etc. *Lucilius libro* 22.: Mercede quae Conductae flent alieno in funere praeficae Multum (vulgo: Multo), et capillos scindunt, et clamant magis etc. — 15. *sese*. V.: *se*. — 18. Ita vett. V.: *ut te*.

Quid ad hoc egeo te, malum, admonitrice? an vincere me
est maleficio? t. t.
St. Peperit mulier, ut ego opinor. A. Vin' adeam ad he-
minem? Ph. Volo. t. t. c.
St. Euge, Astaphiam, eccam, it mi advorsum. A. Salve
ecastor, Stratophanes.
Venire salvom.... St. Scio. Sed peperitne, obsecro, Phre-
nesium? i. t.
A. Peperit puerum nimio lepidum. St. Ecquid mihi si-
milist? A. Rogas? t. t. c.
Quin, ubi natust, machaeram et clipeum poscebat sibi.
St. Meus est: scio iam de argumentis. A. Nimium quidem
similist! St. Papae! as., t. d. et i. d.
Iamne magnust? iamne lectat legionem? ecquem spoliare volt?
A. Here nudiusquintus natus est quidem ille. St. Quid
tam postea? i. t.
Inter tot dies quidem hercle iam aliquid actum oportuit. t. t. c.
Quid illi ex utero exitio est priusquam poterat ire in prae-
lium? i. t.
A. Consequere atque illam saluta et gratulare illi. St. Se-
quor. t. t. c.
Ph. Ubi illa est, obsecro, quae me hic reliquit? — Obscae-
vasti! i. t. c.
A. Adsum; adduco tibi exoptatum Stratophanem. Ph. Ubi
is est, obsecro? t. t. c.
St. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam.
Quom tu recte provenisti quomque es aucta liberis,
Gratulor, qui mihi tibique magnum decus dedisti. as., t. d. et i. d. c.
Ph. Salve, qui me interfecisti pene et vita et lumine, t. t. c.
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.
St. Heia, haud ab re, mea voluptas, iste tibi obvenit labos:
Filium peperisti, qui aedis spoliis opplebit tuas.
Ph. Multo ecastor magis oppletis tritici opust granariis:

---

20. V.: *Q. adhuc eg. tui, m., ammonitricis* (MSS. et priscae edd.: *emonet ruri)?* — 21. Vett.: *uina deu aut hom.? V.: vin' adeam hom.?* Correxit Grutorus. — 24. V.: *nimium.* — 27. V.: — *leg., quam sp. velit?* — 32. *Obscaevasti.* i. e. malam scaevam obiecisti, male ominata es, cum me reliquisti, quasi item deserendam ab amatore Stratophane. Hoc agnoscas in scriptura veterum librorum depravata *ab se abisti?* V.: *vel. atque abstitit?* Nonius: *Obscaevavit.* quasi *scaevum sive malum omen attulit. Plautus in Asinaria* (2, 1, 18.): Metuo, quum (imo: quod) illic obscaevavit falsae meae fallaciae. — 34. *Nerienem* seu *Neriam.* vid. Gell. 13, 22. — 36. *dedisti.* MSS.: *magn. deristi* (fort.: *donasti) decus.*

Ne, ille priusquam spolia capiat, hic nos extinxit fames.
St. Habe bonum animum. Ph. Savium, sis, pete hinc a me!
nequeo caput
Tollere: ita dolui, itaque ego nunc doleo, neque etiam queo
Pedibus mea sponte ambulare. St. Si plane ex medio mari
Savium tuom petere iubeas: petere haud pigeat, mel meum.
Id ita esse experta es, nuncque experiere, mea Phronesium,
Me te amare: adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas;
as., t. d. et i. d.
Iis te dono. Adduce huc tu istas! Sed reginae istae
domi i. t.
Suae fuerunt ambae; verum patriam ego excidi manu.
Iis te dono. Ph. Poenitetne, quot mi ancillae sunt iam,
Qui nunc etiam insuper adducas, quae mihi comedint cibum? t. t. c.
St. Si hoc quidem hercle ingratum est donum: cedo istam,
puere, perulam. — as., t. d. et i. d.
Hem, mea voluptas, attuli eccam pallulam ex Phrygia
tibi! i. t.
Tene tibi. Ph. Hoccine mi ob labores tantos tantillum
dari? t. t. c.
St. Perii hercle ego miser! iam mi auro contra constat filius,
Et iam nunc male perdit me. — Ad id purpuram ex Sarra
tibi
Attuli et duos Ponto amictus. Tene tibi, voluptas mea!
Accipe hoc! — Abducite istasce hinc e conspectu Suras.
Ecquid amas me? Ph. Nihil ecastor, neque meres. St. Nilne
huic sat est?
Nae mihi nunc verum quidem unum dixit! Viginti minis
Venire illaec posse credod omnia, quae ei dono dedi.

---

51. V.: *fuere*. — 53. Decurt.: *quin etiammensuper add.* V.: *Quine etiam super*. Gul.: *insuper*. — 54. V.: *cedo tu mihi istam, p., p. perulam, peram*, vidulum. cf. Rud. 2, 3, 61 etc. — 55. Gronovii emendatio. Palat., quem adhibui: *pari grd*, quod nihil aliud est quam male lectum *phrigia*. Peius alii vett.: *pari gratia*. Pessime vulgati libri, auctore Palmerio: *parva Graecia*. Dicit Stratoph. vestem acu pictam, cuius artis Phryges inventores fuerunt, et artifices appellati phrygiones. Plin. H. N. 8, 48, 74. — 58. MSS.: *Etiamnum mali* (vett. edd.: *nihili*) *pendit*. V.: *Etiamnum me vilipendit. Sarra* (s. *Tsor*) vetus nomen Tyri: unde *ostrum Sarranum* pro purpura Tyria apud Virg. Georg. 2, 506. — 59. Pal.: *attulituas* (edd.: *duas*) *ponto amoenas*. V.: *Attuli, et induvias Ponto amoenas*. — 60. V.: *abduce hasce*. — 62. Pal.: *ne unum uerbum quidem num dixit*. V.: *Ne mihi verb. quid. unum d.* — 63. *credod omnia* (credodomia, credodoma etc.). Il. putide: *V. i. p. credo dona, quae ei dono dedi*.

Vehementer nunc mi est irata; sentio atque intellego;
Verum abibo. — Quid ais nunc tu? num me vis, voluptas mea,
Quo vocatus sum, ire ad coenam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? — Planissume edepol perii! Sed quid illuc boni est?
Qui is homo est, qui ducit pompam tantam? Certum est, quo ferant,
Observare. Huic, credo, fertur; verum iam scibo magis.

GETA. PHRONESIUM. STRATOPHANES. ANCILLA.

GE. Ite, ite hac simul, mulieridamnigeruli, forasgerones; as., t. d. i. d. h. II, 3.
Bonorum exagogae! b. d.
Satin', si qui amat, nequit quin nihili sit, as., 2 i. h.
Atque improbis sese artibus expoliat?
Nam hoc qui sciam, ne quis quaerat ex me:
Domi est, qui facit improba facta amator,
Qui bona habet pro stercore, metuit publicos: mundissumum fit. t. t.
Puras sibi volt aedis esse: domi quidquid habet, verritur ἔξω.
Quandoquidem ipsus perditust: secrete hercle equidem illum adiutabo,
Neque mea quidem opera unquam hilo minus propere, quam pote, peribit.
Nam iam de hoc obsonio, de mna una demiqui modo t. t. e.
Quinque numos; mihi detraxi partem Herculaneam.

---

65. V.: *adibo.* — *numne vis me, v. m.* — 68. V.: *Quis h. est, qui inducit p.* — Act. II, 3, 1. Vetus scriptura. Perperam Scaliger et recentiores: *multi aeris damn.* — 2. Suspecta propter tautologiam et similia 4, 2, 6., ex quibus conflata dicas. Ceterum vett.: *exagogae* (Decurt.: *exagoce*). V.: *hamaxagogae*, quasi plaustris dona haec Dinarchi adveherentur. — 3. *Satin', si.* MS.: *S. se.* V.: *Satinne*, voce nihili. — 5. V.: *quis id.* — 7. Haec ita interpolarunt: *Q. b. sua p. st. habet, foras iubet ferri: metuit p.* — *publicos*, viros publicos, Aediles plebis, quorum inter curas viarum et platearum munditiea. Quare per ridiculum Dinarchus prodigus metu illorum purgare dicitur bonis, tanquam stercore, domum suam. — 9. *perditust.* ita priscae edd., vel *perditu'st.* MSS.: *perditum sit* (perditust, perditust, perditum sit), *perditum fit.* V.: *perditum se it.* — 10. V.: — *unquam nihilominus p., qu.* potest, p. Lamb.: *unquam hilo minus.* — 11. V.: *mina.* — 12. Vox *partem* non est elidenda, ut versus constet; vel ita scribendum: Q. *numulos; detr. mihi p. H.*

Nam hoc adsimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi
Nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abbitat in mare.
Nam hoc abiit misereque periit sine bona omne gratia.
Haec quom sic video fieri: subfuror, as., 2 i. h.
Suppilo, de praeda praedam capio.
Meretricem ego item esse reor, mare ut est: a. d.
Quod des, vorat, nec unquam abundat. i. d. h.
Ast hoc saltem iniectum servat; illi subesse adparet
as., t. d. et i. d. c.
Huic des quantumvis: nusquam adparet neque dateri, nequ
acceptrici. i. t. h.
Veluti meretrix meum herum miserum blanditia sua in pa
periem t. t.
Intulit, bonis privavit, luce, honored atque amicis.
Attat, eccam, adest propinque! Credo audisse haec me lo
qui. t. t. c.
Pallida est, ut peperit puerum. Adloquar, quasi nesciam.
Iubeo vos salvere. PH. Noster Geta, quid agis? uti vales?
GE. Valeo et venio ad minus valentem et, melius qui va
leat, fero.
Heru' meus, ocellus tuus, anteferre me haec iussit tibi i. t
Dona, quod vides hos facere, et has quinque argenti mi
nas. t. t. c.
PH. Pol haud perit, quod illunc tantum amo. i. tr. br.
GE. Iussit orare, ut haec grata haberes tibi. c. t.
PH. Grata quaeque ecastor habeo. — Iube auferri intro,
Cyame! — as., t. d. et i. d.
Ecquid auditis haec, quae imperata sunt? as., c. d. t. h.
GE. Vasa nolo auferant: desiccari iube. c. t.

---

14. *abbitat.* V.: *abeat.* cf. Rud. 3, 4, 72, Epid. 2, 2, 119. — 15. V.: *N. h. in mare e. th. perit s. b. omni gr.* vett.: *abiit, periit.* Inepte sunt verba *in mare*, siquidem Geta dicit Dinarchi bona profusa in meretricios amores, quos mari comparat. Quibus verbis expunctis simul apparuit metrum. vett.: *abiit, periit. omni* videtur esse correctio eius, qui *omne* haberet pro ablativo. — 16. MSS.: *Hi cum vid. ni fieri.* V.: *h. c. vid. f.* — 19. *vorat.* V.: *devorat*, metro inerti trochaico. *de-* syllaba nata fuerit ex verbo *des* simili, quod antecedit. — 20. MSS. et priscae edd.: *hoc s. servat mecum illi subesse* (sic MSS.; edd.: *subest*) *apparet.* Salmasius: *At h. s. servat iniectum.* V.: *at h. s. serv. mare: quod illi subest opp.* — 23. malim quod numeri suadent, *oculus.* — *anteferre.* Decurt.: *ante*, vel *atte*, ut alii vett. V.: *ad te.* — 29. *quod vides hos facere.* vett.: *quae v. illos ferre;* recentiores: *quae illos f. v.*, ut tribus versibus continuis legatur verbum *ferre*, quod est infantis. *facere* et *ferre* etiam apud Terentium confusa Heaut. 1, 1, 17. — 32. V.: *iubeo auferri intro. i Cyame.* vett. *iube.* cf. 4, 1, 4. — 34. *iube.* vett.: *iubet.* V.: *lubet.*

Anc. Inpudens mecastor. Ge. Quinam est? Egone? Anc. Tu.
Ge. Bona fide? t. t. c.
Tune ais me inpudentem esse, ipsa quae sis stabulum flagiti?
Ph. Dic, amabo ted, ubi est Dinarchus? Ge. Domi. Ph. Dic,
haec ob dona. t. t.
Quae ad me miserit, med illam amared hominum plurimum ergo,
Meque honorem illi habere omnium maxumum, c. t.
Atque, uti veniat huc, obsecrare. Ge. Ilicet!
Sed quis illic nam homo est, qui ipsus sese comest,
Tristis, oculis malis? Animo suo hercle est miser,
Quisquis est. Ph. Dignus mecastor est. Ge. Nam quis est?
Ph. Non novisti, obsecro, qui illi apud med erat,
Huius pater. Usque abiectaculum cr. tr.
Iussit ali: mansi; auscultavi; observavi, inquam, — pe-
rulam. t. t. c.
Ge. Novi hominem nihili. Illic, quaeso est? Ph. Illic.
Ge. Me intuitur gemens.
Traxit ex intumo ventre suspirium. c. t.
Hoc vide: dentibus frendit, icit femur.
Num, obsecro, nam hariolus, qui ipsus se verberat?
St. Nunc ego meos animos violentos meamque iam iram
ex pectore promam! t. t.
Loquere: unde es? quoius es? cur ausus mi inclementer
dicere? t. t. c.
Ge. Lubido est. St. Hoccine mi responsas? Ge. Hoc:
non ego te floccifacio. i. t.

---

35. *Inpudens mec. — Tu.* Male haec in libris legnatur sub persona Phronesii, cui convicium facere non auderet Geta. Fortasse olim adscriptum fuit *Pith.* vel *Pi.* (Pithecium; v. 2, 1, 27.), quod nomen habuerint pro *Ph.* Ceterum MSS.: *mecast. cuam est egori Tu bona f.* V.: *mec., quanti est negotii?* Ge. *tun' b. fide, Tune ais* etc. — 38, 39. V.: *omnium hominum: Ergo meumque hon. illum hab. omnium max. ergo, ἔργῳ*, re vera, certe. — 40—45. V.: *ut huc ven. — se — animo hercle homo suo est m. — D. est mecastor.* Ge. *quid est?* (MSS.: *nequid est?*) — *illic apud me e., huius pater pueri illic est., usque ad ientaculum.* Palat.: *huius pater usque ad iectaculum.* Vetus l. Cam.: *u. adectaculum. abiectaculum*, rem abiiciendam, similia *obiectaculum* apud Varronem, *spectaculum* etc. — 46. Palat.: *obs. quem pernam.* Similiter alii. Secum mulier dicit *perulam* (2, 2, 54) militis, quam observavit, sperans, multa eum in illa sibi dona allaturum esse, cum rediret; sicut fecit. 2, 2. — 47. V.: Ph. *Illic est.* Ge. *Me intuetur g.* — 49, 50. *Icit.* Percutit. profert Priscian. (et Non.) in verbo *Icit.* gestus est indignantis et aegre aliquid ferentis. — *hariolus* hic pro furioso accipitur, ut notat Turnebus l. 24. Advers., c. 17. solent autem furiosi se ipsi interdum male mulcare. *E. Lamb.* — 52. *Hoccine.* ll.: *Istuccine*, quod si genuinum esset, Geta responderet *Istuc*, non *Hoc*.

St. Quid tu? cur amas es alium te dicere hominem amare!
Ph. Lubitum est. t. t. c.
St. Ain' tandem? Istuc primum experiar. Tun' putilli dei
causa, t. t.
Olerum atque escarum et poscarum, moechum malacum cincinnatum,
Umbraticulum, tympanotribam, amas, hominem non nauci!
Ge. Quae haec res?
Meone here, improbe, tu maledicere audes, fona viti et periuri? i. t. h.
St. Verbum unum adde istuc: iam ego hercle te hic hac effatim conficiam! t. t.
Ge. Tange modo: iam ego hic ted agnum faciam et medium distruncabo!
Si tu ad legionem bellator clues: at ego in culina clueo. as., t. d. et i. d. h.
Ph. Si aequom facias: adventores meos non incuses mihi, quorum t. t.
Dona accepta gratad habeo, tuaque ingrata, quae abs te accepi.

Videtur itaque huc pertinuisse *est*, quod antecedit, in scriptura continua et omissa nota personae, more multorum librariorum, in quibus Palatini, qui scripsit Decurtatum, et *hucciue scriptum* pro *hoccine*, sicut alias *huc*, pro *hoc*, ita mutasse.

55. *putilli.* Hoc haud dubie significat veterum codd. scriptura *pertilli*, seu *pentilli*, quod habet Decurt. V.: *tanbilli.* — 56. *poscarum.* Vinorum acidorum. v. Rud. 4, 2, 36. *malacum*, mollem, effeminatum. *cincinnatum*; quales erant equites Attici, qui comam alebant, quo pulcriores viderentur. cf. Capt. 3, 4, 15. Mil. glor. 3, 3, 49. de ipso Milite: *Magnidicum*, *cincinnatum*, *Moechum unguentatum.* — 57. MSS.: *Umbraticolum*, i. e. Umbraticulum a primitivo Umbraticus, quod sonat hominem in umbra educatum ac viventem domi, non foris in sole et pulvere, ut viri strenui, praesertim militares. Talis est ille Sybaris apud Hor. Od. 1, 8. analogia caret vulgatum *Umbraticolam. tympanotribam.* τυμπανοτρίβην, tympana terentem, i. e. gestantem ac ferientem manibus; quod faciebant Galli Cybeles sacerdotes evirati. v. Virg. Aen. 9, 617—620. — *hominem non nauci*, hominem nihili. Lambinus ad Bacch. 5, 1, 16.: „Quid sit *nauci*, multis verbis docet Festus [p. 107 et 179 Lindem.], quae longum sit referre; sed summa haec est, naucum alios tradere esse id, quod inest in oleae nuce; alios, omnium rerum putamen; alios, fabae granum, quod haeret in fabae hilo; alios, nucis iuglandis medium dissepimentum. — Charisius: *Nauci pro Nihili*" etc. — 61. *clueo.* Sic fere MSS., praeter Roverii, a Lipsio inspectum, quo libro legebatur *ares*| (vulgo: *Ares*), et similiter priscae edd.: *aues*, quod habuerim pro sphalmate, cum librarius male legisset *clueo* propter a et cl litterarum similes ductus: nam mirum foret, Aren (Ἄρην) pro Marte dicere Latinum. — 63. V.: *D. acc. et grata hab. Sed accipere* hic quoque sensu proprio dixit, sicut in verbis *quae abs te accepi.*

ST. Tunc pol ego et domis privatus sum et perii! GE. Plane
istud est. t. t. c.
Quin nunc ergod hinc, odiose, is, omnibus confessus reus?
ST. Perii hercle hodie, ni hunc a te abigo! — Accede modo
huc! GE. Adi huc modo
Etiam, scelus viri, minitare? quem offatim ego iamiam con-
cipilabo! as. t. d. et i. d. h.
Quid tibi huc ventio est? quid tibi hanc aditio est? c. t.
Quid tibi hanc notio est, inquam, amicam meam?
Emoriere ocius, si manu niceris!
GE. Quin manu nicerim? ST. Fac, quod iussim! Mane:
Iam ego te hic offatim conficiam! Occidi optumum est.
GE. Captio est: istanc machaeram longiorem habes, quamde
haec est; t. t.
Sed verum sinedum me petere, si quidem belligerandum est
tecum.
Ibi demum ego tecum, bellator, arbitrum aequom cepe-
rim. t. t. c.
— Sed ego cesso hinc me amoliri, ventre dum salvo licet?
PH. Date soleas atque me intro actutum ducite: i. s.
Nam mihi de vento misere condoluit caput.
ST. Quid meo futurum est, quoi duae ancillae dolent,
Quibus te donavi? — Iamne abisti? PH. Hem, sic datur!
ST. Quo pacto? excludis? — Quaeso, potine planius,
Quam exclusus nunc sum? Pulcre ludificor! Sine!
Quantillo mi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego his subfringam talos totis aedibus!
Num quidpiam avarum mutat morem mulierum?
Postquam filiolum peperit: animos sustulit
Nunc, quasi mihi dicat: „Nec te iubeo, nec veto,
Introire in aedis.“ At ego nolo! non eo!
Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum esse. Sequere me hac. Verbum sat est.

---

65. V.: *Quid n. ergo hic od. es.* — 66. V.: *nisi.* Verba *Accede modò huc* in libris sub Getae persona leguntur ταυτολογικῶς. — 67. Ll., in quibus Decurt.: *iam iam iam*, turbato versu. — 71. item ll.: *Quid.* dein: *iussi.* — 72. V.: *conficiam.* GR. *Occidi! opt. est*, quae sunt inepta. — 73. *haec.* μαχαίριον, culter coquinarius. cf. 61, Aristoph. Eqd. 456, hymn. Hom. in Ap. Pyth. 358. — 75. *I. demum.* V.: *Ibo domum.* — 77. *Date.* vett. edd.: *D. iam.* V.: *Datin'.* — 79. *meo* — capite. argute Miles, ut Phron. dixit, caput sibi dolere de vento, respondet, etiam suo capiti dolore duas ancillas, quas illa recusavit. V.: *mihi*, cum potius dicendum esset, si id voluisset Comicus, *Quid me fut. est* etc.

St. Quid tu? cur ausa es alium te dicere ho[illegible]
Ph. Lubitum est.
St. Ain' tandem? Istuc primum experiar.
55 causa,
Olerum atque escarum et poscarum,
cincinnatum
Umbraticulum, tympanotribam, amas,
Ge. Qua[illegible]
Meone hero, inprobe, tu maledice[illegible]
periuri[illegible]
St. Verbum unum adde istuc: i[illegible]
offati[illegible]
Ge. Tange modo: iam ego hic t[illegible]
dist[illegible] [illegible]is.
60 Si tu ad legionem bellator cl[illegible] [illegible]m foras.
[illegible]rem,
Ph. Si aequom facias: adve[illegible] [illegible]odie feram
[illegible]mo quam matrem meam.
Dona accepta gratad habeo, [illegible] aperit ostium?
[illegible]mabo, mi Strabax,

Videtur itaque huc pertinui[illegible] continua et omissa nota pe[illegible] in quibus Palatini, qui scr[illegible] pro *hoccine*, sicut alias *h*[illegible] *illoc veni*. *Si dis placet*. Diis volen[illegible] [illegible] dixit h. l., serio Capt. 2, [illegible] *Tar. erat merc. de patre*. |*Quaerit* [illegible] *interrogo*, |*Quid eum velit: homo crum* [illegible] Longol.: „*Tarentinas*: i. e. optimas [illegible] Altinates, propter lanae bonitatem ce[illegible] auctor est Varro l. 2. Rei rust. (18.)" — [illegible] *perpera*, ut Decurt. priscae edd.: *per*[illegible] Longol., Muretus Var. Lectt. 9, 15.: *propere*. [illegible] *stultos*, *rudis et indoctos*, *mendaces*. [illegible] theatro perperos Popularis. *Idem eodem*: [illegible] suo quam vitio saepius, Ductabilitate [illegible] perperitudine." — Praeterea libri: — [illegible] etc. sed ipsius versus indicio arguitur vox [illegible] cave dubites primum in margine adscri[illegible] gratia. Neque enim hic inculcandae sunt [illegible] glabrae, quae et apicae (ἄπεικοι, ἄποκοι) [illegible] *Martem*, cui sacri erant lupi, obiicere ait illis [illegible] intelligens lupas, i. e. meretrices, quibus ar[illegible] 13. *urbe*. V.: *urbanos*, quam interpretationem [illegible] 16. *feram* Acid. V.: *efferam*. — 18. V.: *T.!* [illegible] *ecqui si*, i. e. *ecquist.*) *ecqu. ap. hoc ost.?* [illegible] servas tantummodo haberet Phron., *non etiam* [illegible] [2, 3, 32.]) *ecq. ap. hoc ost.? hoc* vel ad[illegible] explicatore, vel potius initium vocis *hostium*, quam [illegible] librarius emendavit (HOCOCTIUM), *sic enim h* [illegible] addere, nunc omittere, solebant per errorem [illegible]



tuit 20
bitur:

s. III, 2.

xerit.
expeto truculentiam. 5
staphium, quam fui;
tuere.
vis modo.
eres perdidi.
scortum ducere. 10
s. Sed dic mihi,
e fortasse dicere.
Quid ego dicerem.
stquam in urbem crebro conmeo,
iam sum villator probus. 15
amabod? S. Istaec ridicularia...
vis? opinor, dicere.
xillum differunt a caulibus.
intro, amabo, mea voluptas. S. Tene tibi hoc;
abeto: mecum ut hanc noctem sies. 20
, rabonem? quam esse dicam hanc belluam?
arrhabonam dicis? S. Ar facio lucri,

III, 2, 3. vulgo habetur post 7. — 7. *nenu*. V.: non. Noenum *pro Non. Lucilius lib.* 30.: Sed tamen hoc dicquid est (imo: sit), si neenu molestum est etc. ubi Mercenenum, Nenu, an Neno dicas, nihil interest." — 12. *Habmas*. Palmas. V.: *Habent*. Habere dicuntur divites, qui habent in ; quo sensu quaerit ancilla, an habeat Stratylax, ne gratia eum habeat cum illo; at aliter verbum accipit, sive se accipere simulat, servus nequam, quasi illa de parasito quaerat, parasitum intelligit, opinor, partem eam, qua viri sunt. — *commoveo* pro *commoveo* vel *convenio*, quae leguntur in libris, Cam., Lamb. et alii. — 15. *villator* Muretus apud Lips. Lectt. 5, 7. V.: *cavillator*, quae est explicatio inconcinna. — V.: *Istaecce*. — 17. *opinor* vett. V.: *fortasse*, cuius scripturae originem nescio. — 18. *at — caulibus*. Vett.: *ut p. differt a cavillibus*. V.: *ut p. differat a cavillulis*. Quae explicantibus aqua haeret viris doctis. Mihi Strat. videtur ita iocari, ut 12. Lucilius apud Nonium cap. 4, n. 434.: *Sibi — Praecidit caulem, testisque una amputat ambo*. cf. Cels. 6, 18. etc.

STRABAX. ASTAPHIUM.

Str. Rus mane dudum hinc ire me iussit pater: i. s. III, 1.
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Postilla venio: quom advenit, si dis placet,
Ad villam, argentum meo qui debebat patri,
Qui ovis erat mercatus Tarentinas; patrem
Quaerit. Dico, esse in urbe; rogo, quid eum velit.
Homo crumenam sibi de collo detrahit,
Minas viginti mihi dat. Accipio lubens,
Condo in crumenam; ille abiit; at ego perperas
Ovis in urbem huc in crumena detuli.
Fuit edepol Mars meo periratus patri:
Nam oves illius haud longe absunt a lupis.
Nunc istos urbe ego mundulos amasios
Hoc ictu exponam atque omnis eiiciam foras.
Eradicare est certum cumprimis patrem,
Post id locorum matrem. Nunc hodie feram
Argentum ad hanc, quam mage amo quam matrem meam.
Tat, ecquist? nullust? ecquis aperit ostium?
A. Quid istuc alienum est, amabo, mi Strabax,

Act. III, 1, 3. V.: *Post illoc veni. Si dis placet.* Diis volentibus, si dii approbant. εἰρωνικῶς dixit h. l., serio Capt. 2, 3, 94. — 5, 6. V.: *Qui o. Tar. erat merc. de patre.* |*Quaerit patrem: dico esse in urbe. interrogo,* |*Quid eum velit: homo crum. sibi de c. detr.;* |*Minas* etc. Longol.: „*Tarentinas*: i. e. optimas: nam oves Tarentinae, ut Altinates, propter lanae bonitatem ceteris praeferebantur, ut auctor est Varro I, 2. Rei rust. (18.)" — 9. *perperas.* ita MSS., vel *perpera*, ut Decurt. priscae edd.: *perpere.* frustra Iunt., Longol., Muretus Var. Lectt. 9, 15.: *propere.* Nonius: „*Perperos, indoctos, stultos, rudis et indoctos, mendaces. Attius:* Describere in theatro perperos Popularis. *Idem eodem*: Et eo plectuntur poëtae suo quam vitio saepius, Ductabilitate *autem* nimia vostra aut perperitudine." — Praeterea libri: — *(perperas) minas Ovis* etc. sed ipsius versus indicio arguitur vox abundans *minas*, quam cave dubites primum in margine adscriptam fuisse explicandi gratia. Neque enim hic inculcandae sunt oves minae, i. e. glabrae, quae et apicae (ἄπραικοι, ἄκουσι) dicuntur. — 11. *Martem*, cui sacri erant lupi, obiicere ait illis oves patris, lupos intelligens lupas, i. e. meretrices, quibus argentum defert. — 13. *urbe.* V.: *urbanos*, quam interpretationem respuit versus. — 16. *feram* Acid. V.: *efferam.* — 18. V.: *T.! ecquis est?* (MSS.: *ecqui si*, i. e. *ecquist.*) *ecqu. ap. hoc ost.? nulla est?* (quasi servas tantummodo haberet Phron., non etiam servos velut Cyamum [2, 3, 32.]) *ecq. ap. hoc ost.? hoc* vel adiectum est ab explicatore, vel potius initium vocis *hostium*, quam subiecto *ostium* librarius emendavit (HOCOCTIUM), sic enim h litteram nunc addere, nunc omittere, solebant per errorem aevo medio.

Qui non extempulo intres? anne opertuit
Ita te quidem, qui es familiaris? Str. Ibitur:
Ne me morari censeas. A. Lepide facis.

STRATYLLAX. ASTAPHIUM.

S. Mirum videtur, rure herilem filium i. s. III, 2.
Strabacen non rediisse, nisi si clanculum
Conlapsus est huc in conruptelam suam.
A. Iam illic pol inclamabit me, si adspexerit.
S. *Quid* vis? quid? A. Quid? tuam expeto truculentiam.
S. Nimio minus saevos iam sum, Astaphium, quam fui;
Iam nena sum truculentus; noli metuere.
Dic, impera mihi quidvis et quovis modo.
Novos habeo omnis mores; veteres perdidi.
Vel amare possum iam, vel scortum ducere.
A. Lepide mecastor nummias. Sed dic mihi,
Haben'? S. Parasitum te fortasse dicere.
A. Intellexisti lepide, quid ego dicerem.
S. Heus tu, iam, postquam in urbem crebro conmeo,
Dicax sum factus; iam sum villator probus.
A. Quid id est, amabod? S. Istaec ridicularia...
A. Cavillationes vis, opinor, dicere.
S. Ita; at pauxillum differunt a caulibus.
A. Sequere intro, amabo, mea voluptas. S. Tene tibi hoc;
Rabonem habeto: mecum ut hanc noctem sies.
A. Perii, rabonem? quam esse dicam hanc beluam?
Quin tu arrhabonem dicis? S. Ar facio lucri,

Act. III, 2, 3. vulgo habetur post 7. — 7. *nenu*. V.: non. Nonius: *Noenum pro Non. Lucilius lib.* 30.: Sed tamen hoc dicas quid est (imo: sit), si noenu molestum est etc. ubi Mercerus: „Nenum, Nenu, an Neno dicas, nihil interest.“ — 12. *Haben' Salmas.* V.: *Habent.* Habere dicuntur divites, qui habent in numis; quo sensu quaerit ancilla, an habeat Stratyllax, ne gratis rem habeat cum illo; at aliter verbum accipit, sive se accipere simulat, servus nequam, quasi illa de parasito quaerat, quem parasitum intelligit, opinor, partem eam, qua viri sunt. — 14. *conmeo* pro *commoveo* vel *convenio*, quae leguntur in libris, recte Cam., Lamb. et alii. — 15. *villator* Muretus apud Lips. Ant. Lectt. 5, 7. V.: *cavillator*, quae est explicatio inconcinna. — 16. V.: *Istaecce.* — 17. *opinor* vett. V.: *fortasse*, cuius scripturae originem nescio. — 18. *at — caulibus.* Vett.: *ut p. differt a cauillibus.* V.: *ut p. differat a cauillulis.* Quae explicantibus aqua haeret viris doctis. Mihi Strat. videtur ita iocari, ut 12. Lucilius apud Nonium cap. 4. n. 434.: *Sibi — Praecidit caulem, testisque una amputat ambo.* cf. Cels. 6, 18. etc.

Ut Praenestinis cenia est cicenia.
A. Sequere, obsecro. S. Strabacem hic opperiar modo,
Si ruri veniat. A. Is hic quidem apud nos est Strabax.
Modo rure venit. S. Priusne quam ad matrem suam?
Heu edepol hominem nihili! A. Iamne autem, ut soles?
S. Imo nil dico. A. I intro, amabo! cedo manum!
S. Tene. — In tabernam ducor devorsoriam,
Ubi male accipiar mea mihi pecunia.

DINARCHUS.

Neque gnatust, neque progignetur, neque potest reperiirier, t. t. c. IV, 1.
Quoi ego nunc aut dictum aut factum melius quam Veneri velim.
Di magni, ut ego sum beatus! ut laetitia differor!
Ita magna ad me nuntiavit Cyamus hodie gaudia:
Mea deamata dona acceptaque habita esse apud Phronesium.
Cum hoc iam volupe est, tum istuc nimio magnae melliniae mihi,
Militis odiosa ingrataque habita. Totus gaudeo!
Mea pila est: si repudiatur miles, mulier mecum prurit. t. t.

23. Irridet Praenestinos, qui vocabula decurtabant. Lamb. — 27. *Iamne.* sic Mediol. a. 1500. V.: *Anne.* — 28. *Imo.* vett.: *Iamne*, quod fuerit *Iam nunc* (Iamnc). — Act. IV, 1, 3. V.: *D. m., ut e. laetus sum, et laetitia diff.* Similia b el l. potest quoque, ut *baetus* forte scriptum fuerit pro *beatus* per oscitationem, dein sedulo mutatum in *laetus* a correctore. — 6. V.: *tum hoc nimio.* — 8. *Mea pila est.* Proverbium a σφαιριστικῇ, seu ludo pilae, qui fuit inter gymnasticos, de quibus poëta Bacch. 3, 3, 26: *Ibi* (in gymnasio) *curru, luctandod, hasta, disco, pugilatu, pila, Saliendo sese exercebant.* v. Hom. Odyss. 6, 100, 115, et 8, 372—376. dupliciter pila luditur apud Homerum: Nausicaa quidem ea petit ancillam; Phaeacum vero alter pilam in altum iacit, alter procurrens manibus excipit, priusquam terram tangat; qui modus hic videtur intelligendus esse potius quam *ludus* ille, quem ὑφηνίδαν seu φαινίδα vocat Eustathius ad Odyss. 6, 100., cum quis pilam alteri ostendens, tanquam missurus, alteri mittebat per iocum. Phaeacum ludus iste similis est hodie usitato, quem vocant Ballonenspiel (francogallice *jeu du ballon*). Ceterum cf. Plin. H. N. 7. p. 417. ed. Harduin. etc. *prurit.* MSS.: *prit*, *ru* neglecto ante *ri* simile. edd.: *perit*, quod nihili verbo *prit* facile praetulerunt. Sed *prurit* illud est, quod sententia requirit: insanire enim amore ait Phronesium haud minus quam seipsum, si militem tam bene numatum repudiet. Catullus 88. ed. Döring.: *Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore Prurit et abiectis pervigilat tunicis?* Bacch. 5, 2, 75. senex, blanditiis captus meretriciis: *Caput*, inquit, *prurit!* cf. Stich. 5, 5, 15 etc.

Salvos sum, quia perdo; si non peream, plane insaniam. t. t. c.
Nunc speculabor, quid ibi agatur, quis eat intro, qui foras
Veniat; procul hinc observabo, meis quid fortunis fiat.
Quia nil habeo: unum, animus, movet med. Omnia agam
precario! i. t.

ASTAPHIUM. DINARCHUS.

A. Lepide ecficiam meum, hera, officium; vide intus modo ut
tu tuom item ecficias: as., t. d. et i. d. b. IV, 2.
Ama, *id* quod decet, rem tuam; istum exinani. b. t.
Nunc, nunc, dum lubet isti, dum habet, tempus ei rei ob-
secundes. t. t.
Prome venustatem amanti tuam: ut gaudia conpares. ch. t.
Ego hic interim restitrix praesidebo, iste dum sic faciat do-
mum ad te exagogam; b. o.
Nec quenquam interim istoc ad vos, qui sit odio, intromit-
tam. Tu perge, ut lubet, ludere istos.
Di. Qui est iste? Heia, Astaphium, indica, qui perit. A. Ama-
bo, hiccin' tu eras? i. t.
Di. Molestusne sum? A. Nunc magis, quam fuisti: b. t.
Nam nisi qui usui est nobis, nobis molestus.
Sed, obsecro, da mi operam, ut narrem, quae volam. i. s.
Di. Nam quid id est? num mea refert? i. d. c.
A. Non mu. Sed intus bolos quos dat! Di. Quid? novus
amator quispiam? i. t.
A. Integrum et plenum adorta est thesaurum. Di. Quis est?
as., t. d. et i. d. c.
A. Eloquar; sed tu taceto. Novistin' tu hunc Strabacem? t. t.
Di. Quidni? A. Solus summam habet hic apud nos. Nunc
is fundust nobis. t. t.

---

9. MSS.: *pane urient, pane uriem.* vett. edd.: *plane esuriam.* V., auctore Lambino: *plane inteream*, quod Acidal. fucans proposuit *interbitem*, et ita versui quidem medicatus est sed a mente Dinarchi aberravit, qui sibi videtur insanire, nisi pereat, i. e. perdite amet mulierem, quae et ipsa amore sui flagret, quamvis ad incitas redacti. Sinceriores h. l. olim editi quam scripti, siquidem *plane* sine dubio verum est, *esuriam* autem id, quod investiges ope palaeographiae. Similia enim e et i, itemque similes a et u, n et r, litterae in libris. — 12. V.: *animos movit mihi. animus*, germanice Gefühl, Leidenschaft. (v. Trin. 2, 2, 22—32.) ei iam uni se dicit obsequi, quoniam semel rem perdiderit. — Act. IV, 2, 4. Verba *venust.* et *tuam* non patiuntur ecthlipsin, quo lenius decurrit versus elegantissimus. — 6. *ludere* Donza fil. V.: — *lubet. ludin' istos?* — 9. V.: *usu.* — 10. *volam.* vetus liber Cam.: *volom.* V.: *volo.* — 14. V.: *novisti* (Palat.: *nouistin) tun'.*

Animo bono male perit. Di. Perii ego hercle idem. i. s.
A. Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules. t. t. c.
Thetis quoque etiam lamentando pausam fecit filio.
Di. Non ego nunc intro ad vos mittar? A. Quidnam quam miles magis?
Di. Quia enim plus dedi. A. Plus es enim intromissus, quom dabas;
Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operam utier.
Litteras didicisti; quando scis: sine alios discere.
Di. Discant, dum mihi argutari liceat, ne oblitus siem,
Qui dedi. A. Interea, magister, dum tu commentabere,
Volt illa itidem commentari. Di. Quid? A. Rem accipere identidem.
Di. Dedi equidem hoc die cii quinque argenti deferri minas;
Praeterea unam in obsonatum. A. Id enim istuc delatum scio:
De eo nunc bene sumus tua virtute minuma. Di. Ut inimici mei i. t.
Bona edint istaec? Mortuom hercle me, quam id patiar, mavelim! t. t. c.
30A. Malim inimicos mi invidere, quam med inimicis meis:
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est.
Qui invident, egent aliis; quibus invidetur, ii rem habent.
Stultu' quidem es. Opperire. Di. Quid iam? A. Quid iam? Quia pol mavelim. i. t.
Di. Non licet de obsonio meo me participem fieri? t. t. c.

---

16. Vett.: *A. h. male gerit*, g et p confusis, ut 4, 4, 17., apud Vell. 1, 121, Phaedrum 3, 12, 1. etc. V.: — *male rem gerit*. Legitur quoque *idem*, menda frequente. — 18. *pausam* Mercer. ad Non. p. 103. libri vett.: *lausum*, recentiores: *lessum*. Achillem mortuum mater Thetis et Nereïdes, Musaeque deflevérunt. v. Hom. Odyss. 24, 47—92, Lycophron. 273 et seqq., Philostrat. in Hereicis, quem Lamb. laudavit, et alii. — 21. *operam utier*. sic edd. vett. V.: *operis*. — 23. *argutari*. Id significat scriptorum vox mendosa *argentari*. priscae edd.: *commentari*, V.: *argumentari*. — 24. Palat.: *Qui dedit*. V.: *Quod dedi*. Opponit se, qui dedit, illis, qui dant. — 25. V.: *V. interim illa itidem comm.* — 26. V.: *D. e. hodie ei*. — 27. *Id enim*. V. *Idem* (Id emi). — 28. *virtute minuma*. MSS.: *uirtutem imemo vel ime*, ut Decurt. V.: — *virtute*. Di. *illine ut inim.* cf. Pseud. *1*, 3, 101. — 29. V.: *quam ut id p.* — 32. *aliis*. vett.: *illis*. V.: *illi*. Dein illi: *quibus inv. irem* (Palat.: *iraem*) *hab.* — 33. *St. qu. es. Opp.* sic vett. edd. V.: *Stultus es*. Di. *quid est?* A. *Opp.* MSS. *Stultus quid est?* — 34. Vett.: *obsonio*. Gruterus, Ern.: *obsonii mea*, quod ne latinum quidem est. De forma ista genitivi diximus ad 1, 2, 27. Lamb. et Gron. pro arbitrio, nec modulate: *N. l. de obsonio saltem me p. f.?*

A. Si volebas participari, auferres dimidium domum.
Nam itidem hic ut Acheronti ratio accepti scribitur:
Intro accipimus; quando acceptum est, non potest ferri foras.
Bene vale. Di. Resiste! A. Omittes me? Di. Mitte intro.
A. Ad te quidem.
Di. Imo istuc ad vos. A. Enim iri non potest. Di. Nimium potest.
Sine experiri. A. Imo opperire: vis est experirier. i. t.
Dicam adesse, ni occupata est. Di. Resta! — Exi! A. Frustra siet. t. t. c.
Di. Redin', an non redis? A. Si me vocat, quae plus in me potest?
Di. Uno verbo eloquar: mittin' med intro? A. Mendax es! ahi! i. t.
Unum aiebas; tria iam dixti verbad, ac mendacia. t. t. c.
Di. Abiit! intro hinc ivit! Ego mihi haec ut patiar fieri?
Iam hercle tibi ego, inlecebra, ludos faciam clamore in via,
Quae accepisti advorsum legem a pluribus pecuniam!
Iam hercle apud magistratus omnis faxo erit nomen tuom;
Post id ego manum te iniiciam quadrupli, venefica,
Puerum suppostrix! Ego edepol tua probra aperibo omnia.
Nil mihi perdi! perdidi omne, quod fuit: fio inpudens,
Nec mihid est tantillum pensi iam, quos capiam calceos. —
Sed quid ego hic clamo? quid, si me iubeat intromittier?
Conceptis, me non facturum, verbis iurem, si velit. —
Nugae sunt. Si stimulos pugnis caedis: manibus plus dolet.
De nihilo est illi te irasci, quae te non flocci facit.

---

38. V.: *Amitte, sine.* Di. *amitto intro.* Vett. fere.: *Siste.* A. *omittes*, vel *omittas, me.* — 39. V.: *istoc.* — 41. MSS.: *occ. est resistat ex ex*, vel *res. et, fr. sit.* Gruterus: *Resta.* V.: *resiste, hem!* A. *fr. es.* — 42. MSS.: *Red. annon redin. si vocat me, quae in me p. potest quam potes.* Nec aliter priscae edd., nisi quod in illis legitur *annon redeam.* V.: *R. an non?* A. *redeam, sed vocat me — qu. potes.* Lamb.: *R.? an n. redis?* Abundant verba *quam potes*, nec sunt Plauti, sed explicatoris. — 43. Male vett.: *eloquere.* — 44. Decurt.: *U. aiebat stridia dixti verba atque mend.* s illud in *stridia* ab eo est, qui emendaret falso scriptum *aiebat; tridia* est *tria* ĩã. Cam. et Lamb.: *U. a.; tria iam d. verba, atque mend.*, claudicante versu. Gul.: *atque es mend.* — 47. V.: *a plurimis.* Lege cautum fuit, ne meretrices cum pluribus simul rem haberent; quod quae admisisset, poena quadrupli, quae in furtum constituta erat, afficiebatur. — 50. MSS.: *E. edepol itua pr.* priscae edd.: *E. ed. tua pr.* V.: *iam tua.* — 51. *Nil mihi perdi.* Nihili aestimo, me perire, pereunte Phronesio. V.: *Nihili me!* sed vett.: *Nihil me.* — 52. V.: *N. m. adest t. p. iam.* Saepe d illud imposuit librariis. — *quos capiam calceos.* i. e. quid agam. Proverbium graecum.

Sed quid hoc? Proh di immortales! Callicles video senem,
Meus qui adfinis fuit, ancillas duas constrictas ducere,
Alteram tonstricem huius, alteram ancillam suam.
Pertimui! postquam una cura cor meum movit modo:
Timeo, ne malefacta antiqua mea sint inventa omnia.

CALLICLES. ANCILLA. TONSTRIX. DINARCHUS.

CA. Egone tibi male dicam aut adeo male velim? Ut animus meust, i. t. IV, 3.
Propemodum expertae estis, quam ego sim mitis tranquillusque homo. t. t. c.
Ego vos rogitavi pendentis verberans ambas simul;
Conmemini, quo quidque pacto sitis confessae; scio.
Hic nunc volo scire eodem pacto: sine malo fateamini! i. t.
Quanquam vos colubrino ingenio ambae estis: edico prius, t. t. c.
Ne duplicis habeatis linguas: ne ego bilinguis vos necem;
Nisi si ad tintinaculos vos voltis educi viros.
AN. Vis subigit verum fateri: ita lora laedunt brachia...
CA. At, si verum mi eritis fassae, vinclis exsolvemini.
DI. Etiam nunc, quid sit negoti, falsus incertusque sum;
Nisi quia timeo tamen ego. To. Nec, quid peccavi, scio.
CA. Omnium primum diversae state. Hem, sic! istuc volo.
Nunc ne inter vos significetis: ego ero paries. Loquere tu.
AN. Quid loquar? CA. Quid puerod actum est, mea quem peperit filia,
Meo nepoti? Capita rerum mi expedito. AN. Istae dedi.
CA. Iam tace. — Accepistin' puerum tu ab hac? To. Accepi. CA. Tace;
Nil moror praeterea: satis es fassa. To. Inficias non eo.
CA. Nam levorem tute scapulis istoc concinnas tuis. —
Conveniunt adhuc utriusque verba. DI. Vae misero mihi!
Mea nunc facinora aperiuntur, clam quae speravi fore.

---

57. V.: *hoc est?* — Act. IV, 3, 3. V.: *Rogitavi e. v. verberantes et pend. simul.* vett.: *R. e. v. verb. has*, vel *bas*, *p. s.* Gron.: *verberans ambas.* Servi, qui culpam commiserant, e columna suspensi, idque nonnunquam diem noctemque (Amph. 1, 1, 124.), loris vel virgis caedebantur. v. Pseud. 1, 3, 105; Asin. 3, 2, 18, 19 etc. — 8. *tintinaculos viros*, qui tintinant, carnifices. v. Pseud. 1, 3, 104. Salmas.: „A verbo *Tintino* (Catull. 51, 11.) nomen *Tintinax*, qui talem sonum edit, ut a *Bibo* Bibax. A Tintinax autem *Tintinaculus*, ut a *Bibax Bibaculus*.“ — 9. V.: *subegit.* — 15. MSS.: *puero datum est*, ex quibus genuinam scripturam ernit Gruterus. V.: *puero factum est.* — 16—18. V.: *expedite.* — *istic est.* — 19. V.: *Iam liverem.* Pistoris: *leverem.* cf. Rud. 3, 4, 17 et seqq.

CA. Loquere tu. Qui dare te huic puerum iussit? AN. Hera maior mea.
CA. Quid tu? cur eum accepisti? TO. Hera med oravit minor,
Puer ut ecferretur, eaque ut celarentur omnia.
CA. Loquere tu. Quid eo fecisti puero? TO. Ad meam heram detuli.
CA. Quid de puero tua hera fecit? TO. Herae meae extemplo dedit.
CA. Quoi, malum, herae? AN. Duae sunt istae. CA. Cave tu, nisi quod te rogo, mi! — t. t.
Ex te exquiro. TO. Mater, inquam, filiae dono dedit. t. t. c.
CA. Plus quam dudum loquere. TO. Plus tu rogitas. CA. Responde ocius:
Quid illa, quoi donatust? Inque. TO. Supposivit. CA. Quoi? AN. Sibi. i. t.
Pro filiolo. CA. Ain'? pro filiolo? Di, obsecro vostram fidem, t. t. c.
Ut facilius alia, quam illa, unde est, puerum natum parit!
Haec labore alieno puerum peperit sine doloribus.
Puer quidem beatus: matres duas habet et avias duas. i. t.
Iam metuo, patres quot fuerint. Vide, sis, facinus muliebre! t. t. c.
AN. Mage pol ad viros malitia haec pertinet quam ad mulieres:
Vir illanc, non mulier, praegnatem fecit. CA. Item ego istuc scio. i. t.
Tu bona ei custos fuisti. AN. Plus potest, qui plus valet. t. t. c.
Vir erat: plus valebat: vicit; quod petebat, abstulit.
CA. Abstulit, et tibi quidem hercle idem attulit magnum malum.
AN. De istoc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta, intellego.
CA. Nunquam te facere hodie quivi, ut, is quis esset, diceres.
AN. Tacui; at nunc non taceo, quando adest: necesse est, indicem.
DI. Lapideus sum: conmovere me miser non audeo.

---

23. Palat.: *eram ero uit minor*, et similiter alii vett. V.: *hera mea rogavit me minor.* — 24, 26. Vett.: *ferretur* (efferr., eferr., ferr.). V.: *afferretur.* — *Quid eo* (Palat.: *cui te*) *p. t. h. fecit?* — 27, 28. V.: *rogo, nisi Ea quae exquiro.* MSS.: *Ea te exqu.* Postremis verbis tonstricem Phronesii compellat. *mi*, mihi dicas. Asin. 1, 1, 15.: *Cave mi mendaci quidquam.* — 29, 30. V.: — *dudum, inquam, loquere.* — *donatus est?* A. *suppos. Inque* (nam sic legendum) loco suo reposuimus. — 31. Scripti: *Pro filiolotoni pro filiolo.* V. *P. fil.* CA. *pro fil.?* sed illud *toni* videtur hoc significare: *c. (Callicles.) ain'?* — 32. *natum* priscae edd. V.: *alienum.* cf. 33. 37. Ll.: *Et idem*, vel *Idem, ego i. sc.*

Res palam omnist! meo nunc illic fiunt capiti comitia!
Meum illuc facinus, mea stultitia est! Timeo, quam mox nominem. i. t.
Ca. Loquere, filiam meam quis integram stupraverit? t. t. c.
An. Video te, propter malefacta qui es patronus parieti!
Di. Neque vivus neque mortuus sum, neque, quid nunc faciam, scio,
Neque, ut hinc abeam, neque, ut hunc adeam, scio! timore torpeo!
Ca. Dicin', an non? dic! An. Dinarchus, quoi illam prius desponderas. as., t. d. et i. d.
Ca. Ubi is homo est, quem dicis? Di. Adsum, Callicles. Per tua obsecro
Genua, ut istuc insipienter factum sapienter feras,
Mihique ignoscas, quod animi inpos vini vitio feceram.
Ca. Non places: in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam: si fabulare posset vinum: se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed homines vino solent.
Qui quidem probi sunt; verum qui inprobus, aquam si bibit,
Sive adeo scatet temeto: tamen ab ingeniod is malus est. t. t.
Di. Scio equidem, quae nolo, multa mi audienda ob noxiam. t. t. c.
Ego tibi me obnoxium esse fateor, culpae conpotem.
An. Callicles, vide, quaesed, homini ne facias iniuriam:
Reus solutus causam dicit; testis vinctos attines.
Ca. Solvite istas. — Agite, abito tu domum, et tu autem domum.
Eloquere haec herae tu. Puerum reddat, si quis eum petat. —
Eamus, tu, in ius. Di. Quid vis in ius me ire? Tu es praetor mihi. i. t.
Verum te obsecro, ut tuam gnatam des mi uxorem, Callicles. t. t. c.
Ca. Eundem pol te iudicasse istanc quidem rem intellego: i. t.

---

48. V.: *Vid. ego te.* — *qui es p. par.* qui adstas parieti, sicut patronus adstat clienti in iure. — 53. V.: *ut tu.* — 54. *feceram.* i. e. *feci.* V.: *fecerim*, quasi re minus certa. — 56. *fabulare* prisci (Decurt.: *f—em*). V.: *f—ri.* — 57. Supplevit Cam. — 58, 59. MSS.: *v. qui iam probus est si quum sibibit s. ad. caret te me tu t. ab ingenio timidus est improbus.* Vox *improbus* in posteriorem locum haud dubie ex margine immigravit. V.: *v. q. impr. est, sive subbibit, s. ad c. temeto, t. ab ing. est imp.* — 60. *ob noxiam* Palmer. V.: *obnoxia.* — 64. V.: *abite.* — 65. *tu* Palat. V.: *tuae.*

Nam haud manesisti, dum ego darem illam; tute sumsisti tibi.
Nunc habeas, ut mactus: verum hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta malaca dotis demam pro ista inscitia.
Di. Bene agis mecum. Ca. Filium istinc tuom te meliust repetere. ns., t. d. et i. d.
Ceterum uxorem, quam primum potest, abduce ex aedibus.
Ego adeo iam illi remittam nuntium adfini meo: t. t. c.
Dicam ut aliam conditionem filio inveniat suo.
Di. At ego ab hac puerum reposcam: ne mox inficias eat. —
Nihil est: nam ipsa haec ultro, ut factum est, fecit omnem rem palam.
Sed nimium pol opportunad ecce eapse egreditur foras.
Nae ista stimulum longum habet, quae usque illine cor pungit meum!

PHRONESIUM. DINARCHUS. ASTAPHIUM.

Ph. Blitea et lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam. t. t. c. IV, 4.
Si alia membra vino madeant: cor sit saltem sobrium.
Nam mihi dividiae est, constricem meam sic mulcatam male.
Ea dixit, eum Dinarchid esse puerum inventum filium. i: t.
Ubi id audivi..... Di. It, quam penes est mea omnis res et liberi. t. t. c.
Ph. Video eccum, qui amans tutorem med adoptavit bonis.
Di. Mulier, adsum: profecturum est. Ph. Quid agitur, voluptas mea?
Di. Non voluptas! aufer nugas! nil ego nunc de istac re ago.

---

71. Vett. fere: *malaxa*, permutatis c et x litteris, quemadmodum *assentatio* pro *assectatio* legitur apud Vell. 2, 128. 69 *amnem* pro *arcem* apud Sil. 4, 648. Decurt.: *tal. malana detes.* V.: *tal. magna a dote. malaca*, mollia, iucunda, quibus iucunde vivitur. *dotis* (nam hoc est illud *detes*), ut Pers. 3, 1, 66.: *Dabuntur dotis tibi inde sexcenti togi.* — 79. Vett.: *opportuna e. ab se e. f.* V.: opportune *e. ab esse e. f.* — Act. IV, 4, 1. Nonius: *Blitea, inutilis, a* blito, *herba nullius usus* (Pseud. 3, 2, 26.). *Plautus Truc.: Bl. et l. est mer. Laberius in Tuceu: Bipedem blliteam belluam.* — *lutea*, lutulenta, sordida, vilis. — 3. V.: *dividia. dividiae* malebat Lamb. — 4. *esse* additum a Lambino. — 5. V.: Din. *U. id audivit quam penes est m. o. r. et lib.* Ph. *Video* etc. *It*, procedit. — 6. V.: *V. e., qui mantutorem me a. b.* Cf. Most. 3, 76, 77. — 7. V.: *profectu'st. profecturum est*, proficiet, conducet mihi, adesse et te convenire. Minus probabiliter Acidal.: *M., ad te sum profectus.*

Ph. Scio mecastor, quid vis, et quid postulas, et quid petis. i. t.
Me videre vis; te amari postulas; puerum petis. t. t. c.
Di. Di immortales, ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit!
Ph. Scio equidem, sponsam tibi esse et filium ex sponsa tua,
Et tibi uxorem ducendam, et alibi iam animum tuom:
Ut me quasi pro derelicta sis habiturus. Sed tamen
Cogitato, mus pusillus quam sit sapiens bestia,
Uni qui aetatem cubili nunquam committit suam;
Qua, si unum ostium obsideatur, aliud perfugium petit.
Di. Otium ubi erit: de istis rebus amplius tecum loquar;
Nunc puerum redde. Ph. Imo amabo, ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me. Di. Minume. Ph. Amabo. Di. Quid id opust? Ph. In rem meam est. i. t.
Triduom hoc saltem, dum miles aliquo circumducitur.
In eam rem. Si quiddam habebo: tibi quoque etiam proderit.
Si aufers puerum: a milite omnis spes tum mi animam ecflaverit.
Di. Factum cupio: nam re facere, si velim, non est locus.
Nunc puerum utere et procura: quia, unde procures, habes.
as., t. d. et i. d.
Ph. Multum amo te ob hanc rem ecastor. Ubi domi metues malum: t. t. c.
Fugito huc ad me. Saltem amicus mi esto manubiarius.
Di. Bene vale, Phronesium. Ph. Iam me tuom oculum non vocas?
Di. Id quoque interius futatim nomen commemorabitur.
Ph. Numquid vis? Di. Facultas operae mi ubi erit: ad te venero.

---

9. Vett. fere *vis* et *postulas*. V.: *valis*, *postules*, *petas*. Illa Graecorum more dixit Plautus. — 10. *te amari post.* V.: *et me te amare p.* cf. 5, 36. — 13. V.: *duc. iam esse, et alibi.* — 17. Vett.: *quasi — perf. gerit.* V.: *Quia si — gerit.* v. ann. ad 4, 2, 16. *qua*, qua ratione. — 18. V.: *tum amplius.* — 20. *In rem meam est.* Decurt.: *iure mea.* V.: *e re mea est.* cf. 22. — 22. Facile -*dā* exciderit ante *ha-* propter similitudinem. — 23. Ll. versu depravato: *auferes.* — 25. V.: *puero*, quod non congruit verbo *procura.* — 26. V.: *M. amabo te ob istam rem mecastor.* — 27. *amicus manub.* i. e. fructuosus et utilis, quasi manubiarum et spoliorum collator. *Pareus* lexico Plaut. — 29. *interius*, familiarius, amicius nomen. V.: *interim.* — *futatim*, saepius. Festus (p. 67 Lindem.): *Futare est arguere; unde et confutare* [ἐλέγχειν.] *sed Cato haec pro saepius fuisse posuit.* — 30. *Numquid vis?* formula abeuntium. — *facultas op.* etc. ita vett. V.: *fac valeas. operae* etc.

Ph. Ille quidem hinc abiit ac cessit: dicere hic quidvis licet,
Verum est verbum, quod memoratur: Ubid amici, ibidem opes.
Propter hunc spes etiam est, hodie tactum hunc iri militem,
Quem ego ecastor mage amo quam me, — dum id, quod cupio, inde aufero.
Quanquam, quom multum abstulimus, haud adparet multum, quod datum est. i. t.
Ita sunt gloriae meretricum. A. Ah, tace! Ph. Quid est, obsecro? t. t. c.
A. Adest pueri .... Ph. Sine eumpse adire huc, sine, si is est modo, ut cupit, i. t.
Ad med, hac rectam si tenet. i. d.
Nae istum ecastor hodie haud hastis confexim, at fallaciis! t. t. c.

STRATOPHANES. ASTAPHIUM. PHRONESIUM. STRABAX.

St. Eo mi amare: fero supplicium damnis ad amicam meam! i. t. V.
Utut illuc acceptum est, prius quod perdidi: hoc addam insuper. t. t. c.
Sed quid vīdeo heram atque ancillam ante aedis? Adeunda haec mihi est.
Quid hic vos agitis? Ph. Ne me adpella. St. Nimium saevis. Ph. Sic sine. i. t.
Potin', ut mihi molestus ne sis? St. Quid id est, Astaphilitium? t. t. c.
A. Merito ecastor tibi suscenset. Ph. Egon'? Atque isti etiam parum

---

31. *abiit*. cf. Pseud. 1, 3, 82. — *ac cessit*. Palat.: *accessit*, cuius verbi importuna emendatio videtur esse vulgatum *abscessit*. cessit rivalibus in amore, praesertim militi. Cic. or. pro Mil. 34.: *Ego cedam atque abibo*. — 32. *opes*. V.: *opus*. — 35. *Quanquam, quom*. V.: *Quae cum*. — 36. vox *mer*, non liquescit. — 37, 38. Palat. et vett.: *Sine eum ipse ad*. — *sine eum ipse ad. ut cup. ad me ad recta si tenent, vel tenet*. V.: *S. eum ipsum ad*. — *s. e. ipsum ad., ut c., ad me hac recta. si venerit, Nae* etc. *rectam* viam. — 39. Vett.: — *hod. hastis*, vel *astis*, *confectum fall*. V., auctore Sarraceno, quem etiam 38. secuti sunt: *N. i. e. h. astutis*. Acidal.: *confexim*. — Act. V, 2. V.: *U. illud acc. sit*. — 4. *sine* Cam., Lamb. et recentiores; in priscis vox haec desideratur. — 5. V.: *P. es*, — *sies*.

Male volo. St. Ergo, mea voluptas, si quid peccavi prius,
Supplicium ad te hanc manum fero auri, si mihi rides. Spice!
Ph. Manu' vetat, priusquam penes sese habeat, quidquam credere.
Puero opust cibum; opus est autem matri, quae puerum lavit;
Opus nutrici autem: utrem ut habeat veteris vini largiter:
Ut dies noctisque potet; opus ligno; opus carbonibus;
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis;
Oleum opust; farina puero opust; opust totum diem;
Nunquam hoc uno die ecficiatur opus, quin opus semper siet:
Non enim pote militaris puer setanio educier.
St. Respice ergo atque accipe hocce, qui istuc ecficias opus. t. t. c.
Ph. Cedo, quanquam parum est. St. Addo unam manum istuc postidea. Ph. Parum est. i. t.
St. Tuo arbitratu, quod iubebis, id dabitur. Da nunc savium! as., t. d. et i. d.
Ph. Mitte me, inquam! odiosus! St. Nil fit; non amor; teritur dies. t. t. c.
Plus decem pondo auri morus pauxillisper perdidi!
Ph. Accipe hoc atque auferto intro. Str. Ubi mea amica est gentium?
Neque ruri neque hic quidquam operis facto; conrumpor situ:
Ita miser cubando in lecto hic expectando obdurui.
Sed eccam videod. Heus, amica, quid agis mihi? St. Quis ille homo? i. t.
Ph. Quem ego ecastor mage amo quam te. St. Quam me? Ph. Quam te. St. Quomodo?
Ph. Hoc modo, ut molestus ne sis. St. Iamne abis, postquam aurum habes?
Ph. Condidi intro, quod dedisti. Str. Ades amica: te adloquor.
Ph. At ego ad te ibam. Str. Ad me, deliciad? Ph. Hercle vero serio.

---

7. *Ergo.* Ll.: *Ego*, menda haud rara. — 8. V.: — *minam* — *espice.* scripti: *rides pice.* — 16. Ll.: *N. e. possunt (possum,* Decurt.: *possim) militares pueri s. ed. Setanion*, σητάνιον, est genus bulbi, item mespili; cibus vilis. v. Muretus Var. Lectt. 9, 13. — 18. Decurt.: *adomne manu istic poste parust.* V.: *addam minam adhuc istic postea.* — 19. *id dab.* vett.: *addabitur.* — 21. *auri morus.* MSS.: *moris.* V.: *amoris.* — 25. MSS.: *quid. a. mille quis illic h.?* V.: *qu. a.?* St. *quis illic h.?* — 26. *ecastor* vett. V.: *Q. e. mecastor magis a. q. te.*

Str. Quanquam ego tibi videor stultus, gaudere aliqui me volo:
Nam quanquam bella es, tuo male es, nisi si itu ego aliqui gaudeo. i. t.
Ph. Vin' te amplectam et savium dem? Str. Quidvis face: ego gaudeam, t. t. c.
St. Meosne ante oculos illam ego patiar alios amplexarier? i. t.
Mortuom herele me odio satius. Abstine hoc, mulier, manum,
Nisi si te manu mea in machaera et hunc vis emori.
Ph. Nil φλυαρεῖν satiust, miles, si te amari postulas.
Aure, haud ferro, deterreri hic potis est, ne amet, Stratophanes.
St. Qui, malum, bella aut facета es, quae ames hominem istimodi?
Ph. Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio? i. t.
„Omnes homines ad suom quaestum callent, nec fastidiunt."
St. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum?
Ph. Quanquam hic squalidus, quanquam hic horridus est: at est bellus mihi.
St. Dedid ego aurum. Ph. Mihi? Dedisti filio cibaria.
Str. Nunc, sid hanc tecum esse speras: alia opust auri mina.
St. Malam rem his, et magnam! Str. Magne opere serva tibi viaticum. i. t.
St. Quid ista debet tibi? Str. Tria. St. Quaenam? Str. Unguenta, noctem, savium.
Ph. Par pari respondet. — Verum nunc, nunc saltem, sid amas, t. t. c.
Dan' tu mihi de tuis deliciis summis quid pauxillulum?
St. Quid ita? Ph. Abi! St. Aveo scire, quid dem. Dictum. Si superet: feres.

---

31. Vett.: *nisi tu ego. itu*, adventu ad te meo. — 34. *me odio.* Vett.: *medio.* V.: *me duco.* Asin. 5, 2, 70.: *Pol me quidem Miseram enicavit odio.* — 35. MS. vetus Cam.: *N. si te mea manu vi in macera*, et similiter alii vett. V.: *N. si te mea manubia machaera* etc. — 37. V.: *deterrere potes.* Scripti: *potest.* — 40. V.: *call., et fast.* — 42. *at est bellus mihi.* Sic Lamb. Vett.: *citus* (atest, ates, cites, citus) *bellumhi.* V.: *scitus bellum init.* — 42. Vett.: *Dedi — aurum*, non *Dedin' — aurum?* ut vulgo. — 46. V.: *Q. i. d. nisi tria?* St. *Quae tria nam?* — 48. V.: *Da tu de t. del.* sequor scriptos. — 49. Vett. fere: *Q. ita ab avo est quod idem dictum superfert.* recentiores insulse: *Q. id, aï, amabo est, quod dem?*

Ph. Campas dicit. — Abi, abi consultatum! At tu ito istac, mi homo!
St. Volgo ad se omnis intromittit. — Abstine istac, tu, manum!
Str. Cave faxis volnus mihi ..... St. Tibi nam? Str. Quoi sunt dentes ferrei! i. t.
Iam hercle cum magno malo tu vapula, vir strenuus! t. t. c.
St. Dedi ego huic aurum. Str. At ego argentum. St. At ego pallam et purpuram.
Str. At ego ovis et lanam; et alia multa, quae poscet, dabo. Melius, te minis certare mecum quam minaciis.
Ph. Lepidus ecastor mortalis es, mi Strabax. Perge, obsecro! — i. t.
Stultus atque insanus damnis certant; nos salvae sumus. t. t. c.
St. Age, prior terito aliquid! Str. Imo tu prior perde et peri!
St. Hem tibi talentum argenti! Philippicum est. Tu tene tibi. i. t.
Ph. Tanto melior! Noster esto; sed de vestro vivito.
St. Ubi est, quod tu das? Solve zonam, provocator! Quid times? i. t.

---

50. Vett.: *C. dicit abavi, consultum istuc mihi h.* V.: *C. dicis: abi, tibi: consultavi istuc.* St. *mihi homo Cave* etc. hic enim versus 52. habetur in libris recentioribus. Festus (p. 34 Lindem.): *Campas marinos equos Graeci a flexione posteriorum partium appellant.* Gronov.: „*Campas* veteres Latini omnia κήτωδη, i. e. monstra marina grandia, cete, vocabant.“ Igitur *campas dicere* intelligit nugari, monstra et prodigia loqui, quae ut plurimum fabulosa et mendacia sint. At nihil prodigiosi dixit Miles, nec quidquam hic quidem mentitur. Quare vereor, ut de monstris illis cogitandum sit. Nec magis probo Longolii explicationem hanc: „*Campas dicit.* hoc est nugas et res nullius momenti: *campae enim graece Latinis sunt erucae.*“ Scatet hic Comicus graecis verbis, vixque dubito, quin nec cete nec erucas dixerit, sed καμπὰς, i. e. *flexus*, praetextus et tergiversationes, quibus utitur Stratophanes. Item figurate Aristophanes Nub. 941.: *Εἰ δὲ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ', ἢ καμψειέν τινα καμπήν.* Quodsi hoc ita est, malim scribi: Καμπὰς *dicit.* — 52, 53. V.: St. *C. f. v. tibi iam* — Str. *Iam h. iam magno tu v. Dentes ferreos* intelligam rastros dentatos, quos manu gestaverit Strabax, homo rusticus, sicut Menedemus apud Terentium Heaut. I, 1, 36. — 59. Liber antiquus Cam.: *A. p. tirol al.* V.: *A. p., tiro, da al.* vett. ignorant istud *da. terito*, confringe, dilapida. — 61. *Noster esto.* Formula laudantis. cf. Mil. glor. 3, 3, 25. Quia tamen servi quoque et familiares audiunt *nostri*, subilcit per iocum: *sed de vestro*, i. e. tuo, *vivito*, non meo cibo, quamvis noster es. — 62. V.: *zonas.* sed unam zonam condendae pecuniae cingebant, non plures: v. Curc. 2, 1; 3, Merc. 5, 2, 85 etc. V. quoque: *provocatur*, quod Acid. correxit.

STR. Tu peregrinus; hic ego habito. — Num mea es?
ST. Nego. Ambula. t. t. c.
STR. Pecua ad hanc collo in crumenad obligata defero.
ST. Quid dedisti? — Ut distrinxi hominem! STR. Imo ego te vero. ST. Qui dedi?
PH. I tu intro, amabo, et tu vero ad me. STR. Iam tu eris mecum quidem. i. t.
STR. Quid tu? quid ais? cum hoccine homine? ST. Non ego posterior dedi? t. t. c.
PH. Tu dedisti; hic iam daturust: istuc habeo; hoc expeto. Verum utrique mos geratur amborum ex sententia.
STR. Fiat. Ut rem gnatam videō: hoc accipiundam est, quod datur.
ST. Meum quidem te lectum certe occupare non sinam. i. t.
PH. Lepide mecastor aucupavi atque ex mea sententia, Aequum est, ut, re mea bene gesta, vestram rursus bene geram.
STR. Remeabo. PH. Si quid es animatus's facere: fac iam uti sciam. t. t. c.
Veneris causa adplaudite: eius haec in tutela est fabula.
Spectatores, bene valete, plaudite atque exsurgite.

---

63. Decurt.: *Habito nunc meos non ego ambulo.* V.: *Habeo: timeo meos. non ego ambulo.* — 64. V.: *in crum. ego. ego* aberravit a superiore versu. — 65. V.: *Quid dedi?* — STR. *imo ego vero, qui dedi.* — 66. Palat.: *in intro am. et tu verge a* (vett. edd.: *ad) me Cum tu eris m. q.* V.: *I nunc intro, am., et tu ergo hac mecum.* ST. *tu eris m. q.* priscae edd.: STR. *Cum tu eris m. q.* — 67. V.: *Ego p. dedi.* — 73. Decurt.: *Aeque ut* (sic item priscae edd.) *rem debere ne* (remeabene) *gestam.* V.: *Meamque ut rem b. gestam, vostram* etc. — 74. Scripti: *Romabo.* V., auctoribus Cam. et Lamb.: *Verum, amabo, si* etc. Abire vult Strabax, sive ut plus argenti domo afferat, seu quod eum Militis pertaedet, qui nunc quidem primas tenet apud Phronesium.

INDEX

rerum et verborum notabilium.

Abbitere T (i. e. Truculenti) 2, 3, 14.
abiectaculum T 2, 3, 45.
acetum figurate dictum R (i. e. Rudentis) 4, 2, 36.
Achiva T 1, 2, 31.
ad modum nullum R 1, 2, 55.
addici R 3, 5, 53.
Aediles foro prohibentes improbas merces R 2, 3, 43.
aestuosae fores T 1, 4, 29.
Agathocles P (i. e. Pseudoli) 1, 5, 118.
ager arvus, pascuus, figur. dictus, T 1, 2, 50.
Alexandrina tapetia P 1, 2, 14.
alteras T 1, 3, 8.
ampullarius R 3, 4, 51.
anacoluthа P 1, 5, 45, 58.
anancaeum R 2, 3, 33.
ancipes R 4, 4, 114.
animus T 4, 1, 12.
apocope, (Ind' et similia) P 2, 1, 16.
apotheca T 1, 1, 30.
ar pro ad T 1, 3, 17.
arca T prol. 2.
arae tactae R 5, 2, 46.
aratio. vide v. pecuaria res.
argumentorum metricorum, quae his fabulis praescripta sunt, verba Plautina, P 1, 5, 78.
argutari T 4, 2, 23.
aridum argentum R 3, 4, 21.
arrogare in stipulando R 5, 2, 45.
avis sinistra P 2, 4, 72.

Balanus R 2, 1, 8.
bellaria T 2, 1, 30.
belluatus P 1, 2, 14.
bitere P 1, 3, 25.
blitum, bliteus, P 3, 2, 26, T 4, 4, 1.
bolus R 2, 3, 30.
Caerulus R 1, 5, 10.
calator P 4, 2, 52, R 2, 3, 3.
campae T 5, 50.
Campanica peristromata P 1, 2, 13.
cantharus R 5, 2, 32.
caput rasum R 5, 2, 16.
Carystus P 2, 4, 40.
censere et sumere R 4, 8, 7—9.
chlamydatus R 2, 2, 9.
cincinnatus T 2, 3, 56.
clepta T 1, 2, 9.
clueo T 2, 3, 61.
clurinum pecus T 1, 3, 13.
coci traducti in comoediis P 2, 2, 1.
cedicum superstitiosa admiratio notata est in praef. p. IV.
columbar R 3, 5, 50.
commeo T 3, 2, 14.
commodum talentum R 5, 2, 31.
compendii aliquid facere T 1, 5, 25, 26.
conchitae R 2, 2, 5.
conchyliatus P 1, 2, 14.
coruscus figur. dictum R 2, 6, 42.
curare alicui rei R 1, 2, 58.
curius P 4, 7, 42.
custodela R 3, 2, 11.
Cyrenae R prol. 33.

Dephelcysticum, praef. p. VIII.
oblitteratum P 1, 1, 102.
danere P 3, 1, 1.
dare (plagas) T 1, 3, 8.
datare R 4, 1, 9.
defrutum P 2, 4, 51.
delectus figur. dictus R 4, 8, 15.
Delphis responsum P 1, 5, 65.
dentatus P 4, 4, 3.
dentes ferrei T 5, 52.
devinciri vino P 1, 2, 86.
Dionysia P 1, 1, 57.
Diphilus R prol. 32.

diu monosyllabum P 2, 1, 19.
doliaris P 2, 2, 64.
Dolus, Dolon P 4, 8, 7.
domi figur. dictum R 5, 2, 48.
domuis T 1, 2, 142.

Eccere T 1, 2, 110.
ecfecta P 1, 3, 158.
echinus R 2, 1, 8.
ecthlipsis intermissa P 1, 3, 118; 4, 1, 18; R prol. 65, 70.
efferre puerum T 4, 3, 24.
egō T 2, 1, 4.
ellipsis verbi Esse P 2, 4, 51, R 1, 3, 14, 20, 28; 4, 4, 32; T 2, 1, 25.
emittere R 4, 6, 9.
epichysis R 5, 2, 32
erat pro esset P 2, 2, 34.
ergo, re vera, T 2, 3, 38.
eris T 1, 3, 23.
eventus eveniens R 2, 1, 11.
eumpse, eampse, T 1, 2, 34.
ἐφετής P 2, 4, 9.
Euripidis Alcmena R 1, 1, 4.
exagoga T 2, 3, 2.
exanimatus, brutus, T 1, 3, 63.
exercere forum, si divinavimus, T 1, 3, 57.
exercitus gymnasticus et palaestricus R 2, 1, 7.

Fabulari, sermo, R 2, 3, 8.
facere, fingere, P 3, 2, 13.
femur percutientes T 2, 3, 49.
follis pugilatorius R 3, 4, 16.
formulae dicendi: Bene ambula, Bene ambulasti? T 1, 5, 18. Bene dicis P 1, 5, 106. Bene facis R 5, 3, 53. Non tu istinc abis? P 4, 7, 97. Noster esto T 5, 61. Numquid vis? P 2, 2, 70, T 4, 4, 30. Quid ais? P 1, 5, 64. Quid censes? ibidem 61. Quid istic? R 5, 2, 44. Tam gratia est P 2, 4, 23.
fortis R 2, 2, 8.
frons contracta R 2, 2, 12.
furcillare fidem P 2, 2, 36.
fures maritumi R 2, 2, 5.
futatim T 4, 4, 29.

Gaulus R 5, 2, 32.
genitivus in ai desinens P 1, 1, 96. in ii T 1, 2, 27. Euripidi R 1, 1, 4. vestiti R 2, 7, 16.
glossemata P 2, 2, 8; 32; 4, 1, 17, 46; 4, 6, 36; 4, 7, 18; 5, 2, 48; R 1, 3, 8; T 1, 1, 59—60, 1, 3, 7—8; 2, 3, 15; 3, 1, 9; 4, 2, 42.

H littera perperam addi verbis vel omitti solita, T 3, 1, 18.
habere dicuntur opulenti T 3, 2, 12.
haec pro hae P 1, 1, 21, R 4, 4, 51.
hamatilis et saxatilis piscatus R 2, 1, 10.
hamaxari T 1, 3, 22.
hamiotae R 2, 2, 5.
hariolus R 2, 3, 46, T 2, 3, 50.
Harpax, Harpagus, P 2, 2, 70.
Hercules averruncus R 4, 6, 16. Herculis sociennus, Iolaus. vide hoc nomen.
herilis, herilis filius, P 1, 5, 78.
hic, ego, P 5, 2, 26.
hircina barba P 4, 2, 12.
hoc pro huc P 2, 2, 8.
hoc die R 4, 5, 5.
Homeronidae T 2, 2, 4.
huiic R 2, 4, 45.
humanum exurere R 3, 4, 62.
hyperbata P 1, 1, 38, R 2, 2, 23, 24; 2, 3, 1.

I correptum in Redi etc. T 1 2, 109.
Iason Pheraeus P 1, 2, 60.
icere T 2, 3, 49.
illi pro illic R 4, 4, 92.
ima disciplina? P 5, 1, 30.
inaestuare T 1, 2, 93.
inanilogista P 1, 3, 27.
indicativus pro subiunctivo, more Graecorum, R 4, 4, 113.
industipulari P 4, 6, 7.
infinitivus sensu nominis R 2, 3, 8.
infrequens militiae T 1, 2, 128.
interius nomen, si forte, T 4, 4, 29.
intestinum opus P 1, 3, 115.
Iolaus R 1, 2, 72. nota.
isti pro istic R 4, 4, 34.
-it syllaba porrecta ante vocalem P 1, 3, 82.
itus T 5, 31.

Lamberare P 2, 4, 53.
Lambini atque editorum Plauti virtutes et vitia, in praefat. p. III. IV.
laserpitium P 3, 2, 27, R 3, 2, 16.
Laverna T 1, 3, 20.
Lemnus T 1, 1, 73.
lenones irrisi P 4, 7, 43. eorum habitus in scena P 4, 2, 28.
lepas R 2, 1, 8.
lex Laetoria P 1, 3, 74.
libella P 1, 1, 96.
Libertas mare fugiens R 2, 6, 5.
librariorum Plautiinscitia, praefat. p. V.
liquide liquidus et similia P 2, 4, 72.
litterae et voces confusae. a et i (manus, minus) T 1, 1, 43. a et l (pauset, plus et) T 1, 1, 43. a et o (pascit, poscit) R 4, 7, 12. a et u P 1, 3, 151. b et d R 3, 4, 127. d et t R 3, 4, 32. e et in R 4, 2, 26. C et E R 1, 4, 5. cf. T 2, 1, 29. f et s P 2, 4, 75. g et p T 4, 2, 16. g et u R 4, 8, 7. h et n R 4, 4, 99. i et t (uiuis, utuis) T 1, 3, 45. l et s T 1, 2, 80. n et r R 1, 4, 5, T 2, 2, 58. o et e. vide v. odium. o et u P 5, 1, 17, 18. r et t T 1, 5, 13. r et u (rerum, verum) R 4, 4, 98. s et x (-as habebis pro exhibebis) R 3, 4, 48. ac, ad, at, aut T 1, 3, 6, 11. aliis et illis T 4, 2, 32. alter et aliter T 1, 2, 73. beatus et laetus T 4, 1, 3. bona et dona P 4, 1, 33. demum et domum T 2, 3, 75. eo, ego, ergo, P 1, 5, 110. et, ut, P 3, 1, 8. facere et ferre T 2, 3, 28. fluctus et fructus P 3, 1, 16. huc et huic T 1, 2, 18. huc et nunc R. prol. 72. ibi et ibo T 2, 3, 75. id enim et idem T 4, 2, 27. idem et item T 4, 2, 16. ingenuo et in genua R 1, 2, 85. insaniam et esuriam T 4, 1, 9. levor et livor T 4, 3, 19. malaca et malana T 4, 3, 71. necdum et nec diu R 1, 3, 25. non et nunc P 4, 6, 22, R 4, 4, 57. olim et enim T 1, 3, 53. onus et opus T 2, 1, 20. opes et opus T 4, 4, 32. ornare et onerare P 5, 2, 30. pluribus et plurimis T 4, 2, 47. pote et potes R 4, 4, 133. quam, quando, quoniam, T 1, 5, 19. quid et quod R 4, 4, 116. quod et quoad R 4, 4, 29. retinaculum et redimiculum T 1, 5, 44. verberans et verberantes T 4, 3, 3.
Lucanus 5, 287. emend. praefatione p. IV.
Lucilius emendatus annot. ad T 2, 4, 14.
lustratio infantium T 1, 5, 72, 73.
luteus figurate dictum T 4, 4, 1.
luxari P 4, 7, 5.
λυσιτελεῖ T 1, 2, 26.

machaera R 2, 2, 9.
Macis P 3, 2, 43.
magudaris R 3, 2, 19.
malacus T 2, 3, 56.
manubiarius T 4, 4, 27.
manus, exercitus, turba, T 1, 1, 43.
Mars iratus T 3, 1, 11.
Mater Matuta P 2, 4, 19.
mellinia P 2, 4, 51.
menda quaedam insignia P 2, 1., praefat. p. VII.
mergae pugnae R 3, 4, 58.
Metia porta P 1, 3, 103.
metrica res. anapaestus dimeter P 5, 1, 31. tetrameter sive octonarius R 4, 2, 16. bacchiacus hexam. P 5, 2, 36. bacchiaci octonarii T 4, 2, 5, 6. choriambicus tetram. T 4, 2, 4. metrorum crebra variatio quam vim habeat, ostenditur in praefatione. versus perperam repetiti P 4, 7, 105. traiecti P 1, 1, 120, 121, R 1, 2, 14 etc.
milites Comici P 1, 1, 49.
minima exta, minima virtus, P 1, 3, 101, T 4, 2, 28.
modicae minae P 4, 7, 125.
mores, modi morigeri, P 1, 1, 62.

mulieri damnigeruli T 2, 3, 1.
murhina P 2, 4, 51.
murmurillum R 5, 3, 49.
musculus R 2, 1, 9.
mussare, mussitare, P 1, 5, 86, T 1, 3, 56.
myrtus Veneri sacra R 3, 4, 27.

Naucum T 2, 3, 57.
ne pro non R 4, 3, 5.
nenu T 3, 2, 7.
negatio geminata R 2, 3, 29.
Neriene T 2, 2, 34.
nescire, quo quis colore sit, P 4, 7, 97.
nihil esse alicui, T 4, 2, 51.
nisi R 2, 7, 23.
noster T 1, 2, 107; 5, 61.
notae personarum. errores circa eas P 1, 3, 13; 4, 7, 70, 87, 90; 5, 2, 34, 47; T 2, 3, 35, 66.
nulli pro nullius P 4, 7, 97.
nullus, nullius pretii, R 2, 6, 45.
numus aureus R 5, 2, 26.

O finale nominum et verborum fere longum, P 4, 4, 5.
obferrumentum R 3, 4, 48.
obscaevare T 2, 4, 32.
odium T 5, 34. od. deorum et hominum R 2, 2, 13.
oh, oho, P 4, 2, 31.
omnis R 5, 1, 5.
operae, facta, R 2, 2, 15.
opino R 4, 8, 4.
or syllaba finalis porrecta R 4, 3, 75.
Orcus P 3, 2, 6.
ornamenta aedium P 1, 3, 115.
os rubicundum P 4, 7, 116.
ostrea R 2, 1, 8.

Palaemon R 1, 2, 71.
papae T 1, 3, 29.
pasceolus R 5, 2, 27.
passum P 2, 4, 51.
patronus parietis T 4, 3, 48.
patulus bos T 1, 3, 23.
pausa, pausare, T 1, 1, 43; 4, 2, 18.
pecuaria res et aratio dictae per tropum T 1, 2, 48.
peltatus, P 4, 4, 3.
pendentes servi T 4, 3, 3.
penicillus novus? R 4, 3, 69.
perbitere P 3, 1, 12.
perclamare T 1, 1, 8.
perfossor parietum P 4, 2, 23.
peristromata. vide v. Campanica.
perperus T 3, 1, 9.
personae male divisae P 2, 4, 19, 20, 26, 27 etc.
perviam esse P 2, 4, 70.
perula T 2, 2, 54.
Phaedrus fab. 4, 4, 3. emend. praefatione p. VII.
Philippeae minae R 5, 2, 27.
Philomela, Procne, R 3, 1, 12.
philosophe! R 4, 3, 37.
Phrygum ars acu pingendi T 2, 2, 55.
pilae ludus T 4, 1, 8.
placusia striata R 2, 1, 9.
Plauti Amphitruo 5, 1, 42. emendata ad R 1, 1, 4. Plauti ars metrorum, praef. p. VI. eius codices mature depravati, ann. ad P 1, 1, 4. bonorum raritas, praefat. p. IV.
plenus vitii et probri R 2, 2, 13.
pleo (arcae pletae) T prol. 2.
plusquamperfectum sensu perfecti T 4, 3, 54.
polluctа pago R 2, 4, 11.
polluctum R 5, 3, 64.
pontifex. apud eum deposita pecunia R 5, 3, 21.
porge P 2, 4, 18.
poscae T 2, 3, 56.
postpartor T 1, 1, 42.
poti R 4, 3, 29.
potis, potissunt, T 2, 2, 4.
praeficae T 2, 2, 14.
praefiscine R 2, 5, 4.
Praenestini verba mutilantes T 3, 2, 23.
prologi suppositi fabularum Plautinarum, ann. ad P prol.
promisca opera R 4, 4, 138.
proverbia. calceos hos vel illos capere T 4, 2, 52. mea pila est T 4, 1, 8. si diis placet T 3, 1, 3.
provocator T 5, 62.
prurire T 4, 1, 8.
Pseudoli fabula manca, ut videtur: vide P 1, 2, 13.

publicum seu rem publicam habere T 1, 2, 43, 44.
puerae T 1, 2, 51.
putillus T 2, 3, 55.

Quamde pro Quam R 4, 7, 17.
qui, quomodo, P 2, 3, 9.

Recalvus R 2, 2, 11.
recuperatores R 5, 1, 2.
referre pro afferendo P 2, 2, 29.
reparco T 1, 5, 25.
repetitae voces per emphasin R 5, 2, 29.
rete iaculum T 1, 1, 14.
retia, retis, R 4, 1, 9; 4, 3, 5.

Sacres porci R 4, 5, 18.
sarculum. ita me amabit sarc. T 1, 3, 21.
Sarra T 2, 2, 58.
satin' R 2, 5, 5.
schoeni R 2, 1, 5.
scriptura (publica) T 1, 2, 47.
semen sceleris R 2, 2, 21.
senio esse T 2, 1, 16.
sententia, prudentia, R 4, 2, 14.
setanium T 5, 16.
sexungula T 1, 3, 56.
sicilicula R 4, 4, 125.
siem etc. P 4, 3, 6.
signum (Palladis) P 4, 6, 2.
silicernium mortuis coctum P 3, 2, 7.
Silius Ital. 3, 682. et 16, 53. emend. ad R 4, 8, 7.
silo R 2, 2, 11.
similia similibus officientia P 4, 3, 6, T 4, 1, 8; 4, 2, 51.
sinapi P 3, 2, 28. eo victitare T 1, 3, 59.
sinus, sinum, R 5, 2, 32.
sirpe R 3, 2, 16.
soleas demere vel poscere T 1, 5, 16.
Spes P 2, 4, 19.
stacta T 2, 1, 26.
statutus R 2, 2, 11.
Stratonicus R 4, 2, 31.
Stratyllax T 1, 3.
strenuare P 2, 2, 34.
strix P 3, 2, 31.
suasum T 1, 3, 16.
subaquilus R 2, 4, 9.
subvolturius R 2, 4, 9.
summus P 1, 2, 34.
supercilia torta R 2, 2, 12.
superstitiosus R 4, 4, 95.

Talentum magnum R 5, 2, 31.
tam pro tamen P 2, 4, 23., R 4, 6, 1.
tapetia. vide v. Alexandrina tap.
Tarentinae oves T 3, 1, 5.
tegillum R 2, 7, 18.
terere aliquid T 5, 59.
Tereus R 2, 6, 25.
Thales figurate dictus R 4, 3, 64.
thermopolium P 2, 4, 52.
Thetis T 4, 2, 18.
Thyestes R 2, 6, 25.
tintinabula P 1, 3, 104.
tintinaculi viri T 4, 3, 8.
tmesis P 4, 6, 7.
tramae R 5, 2, 37.
transenna R 4, 7, 10.
tricae R 5, 2, 36.
tua, te digna, R 3, 4, 47.
tympanotriba T 2, 3, 57.

Umbraticulus T 2, 3, 57.
unanimus T 1, 5, 84.
urtica marina R 2, 1, 9.

V littera liquescens in nominibus Iovem, navem, R prol. 23, R 4, 2, 31.
velitatio R 2, 6, 41.
venales ductitare R 2, 7, 26.
venenare R 4, 2, 15.
Veneris ecfigia R 2, 4, 7.
veniam addicere de aliqua re T 1, 2, 112.
ventriosus R 2, 2, 11.
verba ficta ridiculi causa P 3, 2, 42. 43. verborum proprie dictorum formae obsoletae: capsimus R 2, 1, 15. coquint P 3, 2, 30. duint P 4, 1, 31. ecfexis P 4, 1, 41. exedint P 3, 2, 32. habivit P 4, 7, 129. iussim T 2, 3, 71. nancti R 4, 3, 46. occentassit R 3, 4, 71. praeposivi R 4, 2, 11.
verbenarum usus T 2, 1, 30.
versus. vide v. metrica res.
vesper, vesperna, R 1, 2, 91.
vetus P 1, 5, 21.

victor R 4, 3, 51.
villator T 3, 2, 15.
vinum graecum aqua marina mixtum R 2, 7, 30.
Virgilius Aen. 12, 889. emend. ad R 1, 4, 3.
vocalis natura brevis producta ante duplicem consonam P 5, 2, 28.
vocalium brevium elisio P 1, 1, 60; 4, 1, 7.
volam T 1, 2, 111; 4, 2, 10.
voster Daemones R 4, 7, 19.
Vulcanus Veneris adversarius R 3, 4, 56.
Zona condendae pecuniae T 5, 62.

Explicatio siglorum.

a., anap., anapaestus.
anacr., anacreonticus, sive iambus dimeter catalecticus.
as., asyn., asynartetus.
b., bacchiacus.
br., brach., brachycatalecticus, i. e. versus pede deficiens.
c., catalecticus, seu syllaba deficiens.
c., cr., creticus.
ch., choriambicus.
d., dimeter.
h., hyp., hypercatalecticus, i. e. abundans syllaba.
i. s. iambus senarius.
i. t. iambus tetrameter.
ith., ithyphallicus, i. e. troch. dim. brachycat.
o., oct., octonarius.
t., trochaïcus.
t. t., trochaïcus tetrameter.
tr., trimeter.
V., Vulgo.

Errata.

Pag. 10., versu 134. lege: *Pubi.* — P. 12., v. 69. l.: t. d. — P. 15., versu 11. notarum l.: *Quid properas? placide*, quae legerat etc.

In der Verlagshandlung erschienen ferner:

Beck, Prof. J. R. G., Lexicon Latino-Graecum manuale in usum scholarum accedit Index prosodicus. Cum Auctario. 8. 1828. Schreibp. 1 Thlr. 14 gr. Druckp. 1 Thlr. 4 gr.

Euripidis Alcestis, cum delectis adnotationibus potissimum J. H. Monkii, accedunt emendationes Godofr. Hermanni. 8maj. 1824. 14 gr.

Fiedler, Prof. Dr. Franz, Geschichte des römischen Staates u. Volkes. 3te verm. u. verb. Aufl. gr. 8. (34 Bog.) 1839. 1 Thlr. 16 gr.

— —, Geschichte des griechischen Staates und Volkes. (Künftig).

Gernhard, A. G., Observationes in Sophoclis Philocteten. 8. 1810. 12 gr.

Hesiods Gedichte übersetzt von Chr. H. Schütze. Nebst Epiblämen. gr. 8. 1818. 1 Thlr.

Hoffmann, Dr. S. F. W., die Alterthumswissenschaft. Ein Lehr- u. Handbuch für Schüler höherer Gymnasialclassen u. für Studirende. Mit 16 Kpfrtaf. gr. 8. (73 Bog.) 1835. cart. 5 Thlr. 6 gr.

Jacobitz, Dr. K., u. Dr. E. E. Seiler, Handwörterbuch der Griechischen Sprache. 1r Bd. 1ste Abtheil. A—E. Lexikon-8. (59½ Bogen.) 1839. Subscript.-Pr. n. 2 Thlr. 12 gr.

Lukianos' der Traum. Der Hahn. Der Menschenfeind. Die Freundschaft. Göttergespräche. Meergöttergespräche. Todtengespräche. Uebersetzt u. mit Anmerkk. begleitet von J. Minckwitz. 8. Velinp. geh. 2 Thlr.

Lycophronis Alexandra. Ad fid. codd. mss. rec., Paraphrasin ined., Scholia min. etc. indices etc. add. Lud. Bachmannus. 8maj. 1833. 3 Thlr.

Matthiae, Aug., historiae graecae capita praecipua seu excerpta ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte. Ed. II. 8maj. 1809. 1 Thlr. 12 gr.

Petri, Prof. Fr. E., Hellas. Gedrängte Uebersicht der altgriechischen Staaten- und Gelehrtengeschichte. gr. 8. 1818. 18 gr.

Plauti comoediae tres. Captivi, Miles gloriosus, Trinummus. In tironum gratiam et usum scholarum ed. Fr. Lindemann. Accessit de vetere prosodia libellus. 8maj. 1823. 1 Thlr.

Terentii Publii Afri, Andria, ex recensione Richardi Bentleii, in usum scholar. curav. et animadversion. adjecit G. W. A. Fikenscher. ed. 2. 8maj. 1809. 8 gr.

Dasselbe neu übersetzt von G. W. A. Fikenscher. Neue unveränderte Ausg. gr. 8. 1809. 4 gr.

Tyrtäus Kriegslieder. Mit einer neuen metrischen Uebersetzung und histor. Einleitung, wie auch mit Wort- u. Sacherklärungen zum Schul- u. Selbstgebrauch versehen von C. Chr. H. Stock. gr. 8. 1819. 6 gr.

Virgilii P. Mar., opera ad optimorum librorum fidem edidit, perpetua et aliorum et sua adnotatione illustravit, atque indicem rerum locuplet. adiecit Albertus Forbiger. Pars I—III. Pars I. Bucolica et Georgica. Pars II. Aeneidos L. 1—4. Pars III. Aeneidos L. 5—12. 8maj. (106 Bog.) 1836—1839. 4 Thlr. 8 gr.

Vitae T. Hemsterhusii, Dav. Ruhnkenii, et elogium Jo. Meermanni. Cur. Frid. Lindemann. ed. 2. 8maj. 1822. 1 Thlr.

Xenophontis Memorabilia Socratis cum indice vocabulorum Graeco-Germanico edidit L. H. Teucherus. 8. 1806. 20 gr.

Xenophon's Cyropädie, oder Bildungs- und Lebensgeschichte des ältern Cyrus, griechisch, mit Inhaltsanzeigen, erklär. Wortregister u. einer kritischen Vorrede von Fr. H. Bothe. 8. 1821. 1 Thlr. 4 gr.

— — Feldzug nach Oberasien, verbessert, mit Inhaltsanzeigen u. einem Wortregister versehen von Dr. F. H. Bothe. Vierte umgearb. Aufl. gr. 8. 1825. Schreibp. 1 Thlr. 4 gr. Druckp. 21 gr.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Pseudolus, Rudens,
006336786
085 219 947